Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Marcus Hassaeus

Libri Quinque Psalmorum Davidis Regii Vatis, Pietatis exercendae ergo, metrica Paraphrasi in Carmen mere Sapphicum conversi

Lubecae: Albertus, 1601 [erschienen] 1602

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0001
DFG



~~XX.12.~~

3089

F.b—3143.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778434060/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0004
DFG

LIBRI QVINQVE

PSALMORVM DAVIDIS

REGII VATIS, PIETATIS exercendæ ergô, metricâ Paraphrasi in Carmen merè SAPPHICUM conversi

à

M. MARCO HASSÆO,
in almâ Academiâ Rosarum linguæ Ebraæ Professore publico.

LUBECÆ
Ex officina Typographica LAURENTII ALBERTI
Bibliopolæ.
cIↃ. IↃ. CI.

Samuel Bere

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0005
DFG


Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Illustrissimo Principi ac Domino,

DOMINO VLRICO, DUCI MEGAPOLITANO, PRINCIPI HEnetorum, Comiti Suerinj, Domino Rostochij & Stargardiæ, Domino suo clementissimo,

MAGNVS Alexander tanti faciebat Homerum,
Tamq; illi suavis lectio vatis erat;
Vt neq; terrores belli sonitusq; tubarum
Extorsint cupidâ scripta diserta manu.
Hunc, quoties somno fessos demisit ocellos,
Ceruici fertur supposuisse librum.
Arca fuit prædæ inter deprênsa Darij:
Huc, ait; hæ sedes dentur Homere tibi.
Quis hoc nõ laudet, quis nõ memorabile ducat?
Quis non hoc sapiens concelerbaret opus?
At, quæso, tanti si Rex Pellæus Homerum
Æstimet, & tantùm collocet huic studij:
Ecquid oportebit Christi de nomine dictos
Amplexos Christi dogmata sacra, Duces,

Vngue indefesso tractare volumina sacra
Quæ digito sculpsit spiritus ipse Dei?
Queis via monstratur vitæ, via certa salutis,
AEthereâ tantùm participanda fide.
Sacra etenim quantùm præstant monumenta profanis,
Sacrorum tantùm vincere debet amor.
Vnde illum Dauid statuit quater esse beatum,
Qui legem Domini nocte dieq; terit.
Iam licet in cunctis decus admirabile libris
Sit, quos dia suo Biblia in orbe tenent;
Eminet hæc inter tamen affectatq; triumphum,
IESSAE AE digito pagina ducta manus.
Articulos fidei seu tu cognoscere sanctæ;
Quid velit & poscat, quidq; sit ipse Deus:
Quæ leges vitæ: quanam decreta salutis:
Vnius vt Christi saluificemur ope:
Seu cupias trepidis forsan solatia rebus,
Seu scelerum pœnas, seu documenta crucis:
Siue Prophetarũ quodcunq; oracula promunt;
Crede mihi, hæc Psaltes cuncta vel vnus habet
Hic igitur multùm studio pietatis in almo
Profecit, multum quem iuuat iste liber.
VLRICE ô patriæ Pater, illustrissime Princeps,
O MEGLAburgæ firma columna domus.
Te mandante illum dum volvo reuolvo libellũ,
Tradoq; discipulis ordine cuncta meis;
Hic vbi dulcè canunt Rosei per littora cygni,
Et varnus rapidis in mare tendit aquis:
Non solùm Ebræos, ceu fas, exhaurio fontes,
Quin etiam in Latia plectra resoluo lyra.

Totus

Totus & expreſſo iam nũc mihi carmine codex,
Vadere per doctũm diſcupit ora virũm.
Patronum ſed enim Defenſoremq́ requirit,
Nomine cuius ei concilietur honos.
Quem tibi Patronũ tandem præponere poſſim,
VLRICE ô Muſis anchora fida pijs?
Te ſolum exoptat, te nunc aditurus anhelat,
Accipe tu miti, cùm venit ille, manu.
Ne ſpecta vilis munuſcula tenuia chartæ,
Pallade neu ſpernas carmina texta rudi.
Materiem potiùs libres; mentemq́ dicantis;
Quo ſint ſcripta & quo fine dicata tibi.
Scilicet in iuuenũ ſunt ſcripta atq́ edita fructũ
Qui calidis rapient carmina noſtra fibris.
Inde voluptatem capient quoq́, opinor, adulti,
Sinceræ ſtudium qui pietatis amant.
Aſt inſcripta tibi: ſtudia ut teſtamina noſtri
Et ſpecimen: magnũ hoc namq́ quid eſſe reor,
Quapropter noſtras ne dedignare Camœnas,
Tu quippè has ſolus lætificare potes.
Sic tua NESTOREOS vita extendatur in annos,
Pacemq́ perpetuâ ſit tibi deinde frui.

Illmæ Celsdinis veſtræ
ſubiectiſſimus miniſter
MARCUS HASSÆUS.

EPIGRAMMA

M. JOHANNIS SCHELHAMMERI, Pastoris Hamburgensis ad Diui Petri.

HESSI Elegô quondam pede quod cecinisse iuuabat,
HASSÆI Sapphô psaltria Musa canit.
Hessius & Hassæus IESSÆO numine pleni,
Dilectiq; DEO, pectora sancta gerunt.
Quàm pulchrum est sacri Flatus benè vertere dona,
Et dulci Dominum concelebrare Lyrâ:
Quàm fœdum, Stygij sannas & stercora Ditis,
Blasphemum aut dentem, si aurea vena vehit.
Quàm benè concordant Germana & Ebræa Latinis,
Æquali passu conuenienter eunt.
Quàm gratum, HASSÆVS quod suauiter vno & eodè
Integrum Lyrico pectine pulsat opus.
Sit felix, viuat Christo, nobisq; Poëta,
Carmina nec cesset dicere sacra DEO.
Frugiferum terris, non est laus parua, fuisse:
Nil fecisse boni, dedecus esse puta.
Te vixisse, labor dignus, post funera clamet:
Vixisse HASSÆVM, carmina testis erunt.

Πρὸς τὸν εὐτυγχάνοντα
Επίγραμμα M. IOHANNIS POSSELII, Græcæ Linguæ Professoris, in Academiâ Rostochiensi.

Οὗτοι βοῦσι θεὸς θεραπένεται εἰλιπόθεσσιν,
οὐδὲ βροτοὺς σφάττειν ἔνβοτα μῆλα θέλει
Αλλὰ φρόνημ' αἰτεῖ καὶ ἐντελὲς ἠδ' ὁλόκληρον,
καὶ καθαρὴν ψυχὴν ⊙ καθαρὴν κραδίην.
Ως Δαυίδειον ποίημα διδάσκει, ἀληθῶς
ὅττι δι' ἀνθρώπου, πνευμ' ἐπόνησε θεοῦ.
Τόν δ' οὖν ποιητὲν ἐνὶ χερσὶν χρῆσε κομίζειν,
τοῦτον χρὴ ψαλτὴν σοι φίλον ἔξοχ' ἔμεν.
Ει γὰρ ἔχεις χαλεπαῖς βεβαρήοτα θλίψεσ, θυμὸν,
αἴψ' ἔνθεν γεύσεις φαρμάκου ἀενάου.
Τὸν σοὶ ἀνὴρ σώνετος μεταφράξι εὔφρονι θυμῷ
ΑΣΣΑΙΟΣ, ζητῶν δόξαν ἐπουρανίου.
Καὶ νεότητος ὁμοῦ θαλερῆς ὄφελος καὶ ὄνειαρ,
ἣν φιλικῶς φιλέει, σήθεος ἐκ καθαροῦ.
Σέργ' οὖν τοῦτο μέλος σὺ ἐπήρατον ᾧ γαθεκείνος
οὕτω γὰρ δώσει κάλλιον ἐξοπίσω.

ALIVD.

M. MARTINI BRASCHII, Logices Professoris, & Poetæ coronati.

HASSAEE optime, te tenent Prophetæ
Regis cantica, iam rudi iuuentæ
Inculcata, canore iam Latino
Et Sapphûs modulata Quadri-chordo.
Ex quo fonte suauiore linguam
Haurire Isacidûm? Lyraué possis
Moliri Latios sonante versus?
Sacram materiem, sacros libellos
Tractas: vnde capax tibi cerebrum
Thesauro sapientiæ & vigoris
Efflorescat olympici beato.
ILLO FINE choro inseráre vatum;
Et Momi fugies reducta labra.

ALIVD.

M. IOHANNIS SIMONII
Oratoriæ Professoris.

NEpenthes quisquis curas depellere; morbos
Aut panaceam omnes posse leuare putas:
Perlege quæ HASSAEVS IESSAEI sacra latinis
Aptauit fidibus carmina; sanus eris.

Aliud eiusdem.

SPernis, amas, HASSAE E, docent tua carmina vtrunq;
Est cordi pietas, est odio impietas.
Hortaris: pugnas; fles: augur es; arguis; ardes;
Perge Lyrâ atq; DEO fac rata, facq; pijs.

ALIVD.

M. EILHARDI LVBINI
Poetices Professoris.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ἐν βίῳ βροτῶν
Οὐ συμφορὰ θεήλατος, κ' ἀνθαίρετος,
Ης οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.
Ουδ' αὖ τι δεινὸν οὐδὲν ἐν βροτοῖς πέλει
Καὶ τόσον ἁπάντων σμῆνος οὐκ ἔστιν κακῶν,
Τὸ γ' οὐκ ἐρυκοὶ πιστὸν εὐχῆς τῆς βροτῶν.
Τοῦ γάρτε κάρτος πάντα κόσμον κ' οὐρανὸν
Νικᾷ, κ' ἄμεινον ἄλλο τούδ' οὐχ ἑνρετὸν.
Οστις πότ' εἶ σύγ' οὖν, τὴν ἄχθος συμφορῶν
Σύμμαρψ', ΙΕΣΣαίον τὸ κλεινὸν βιβλίον
Ιδοῦ, κ' ἄκουε κλεινοῦ ΑΣΣΑΙΟΝ λύρας:
Δεῦρ' ἴθι κ' αὐτῶν πιστὸν ἕξεισ φάρμακον.



ALI-

ALIVD.

M. PETRI BAMBA-
MII. P. L.

SExtupes Sappho mea, quintupedem Sororem
Sume iam paucis celebrare metris, sacratam
Quæ dat HASSÆO chelyn, ac metra dictat ipsi
Fontibus hausta ab Ebræis.
Huius est donum, Chelyn I S A I D Æ Dauidis
Ille quod plectro quatit aureolo fidesque
Dirigens, Psalmos animat, faciliq; celsum
Æthera carmine mulcet.
Hactenùs verò sua Psalmata solus intra
Parietes priuos dedit auribus ille I O V Æ,
Oris occentum fidibus socians, Poëta
Et Citharædus vtrinq;.
Quinq; sed pridem sua concipiens libellis
Donat æternâ modulamina sacra luce,
Atque communem, procul inuidiâ remotâ,
Diuidit orbis in vsum.
Ergo, qui veræ pietatis amore flagras,
Sapphicos vatis cape fronte hilari labores:
Et sacram pulsans Citharam simùl oris illi
Sæpiùs adde canorem.
Bis preces fundit, modulamina corde quisquis
Intonat, laudans Dominum; canat ergo lætus
Qui scit, ardentiq; subindè per astra clamans
Prædicet ore tonantem.

ALIVD.
PETRI LINDENBERGII. P. L.

DVm pubi Hebrâicè HASSAEVS sacra cantica pandit,
Sanguinis HEBRAEI creditur esse genus?
Dum claudit Lyrico HASSAEVS sacra cantica versu,
Seminio CALABRI creditur esse satus.
Et simul HEBRAEVM & CALABRVM, scripta esse recensent.
Illius; at contra patria Auiq; negant.
Dum sic ambigitur, PHOEBVS, quid queritis, inquit,
Corpore Germanus, Mente sed HIC & IS est.

PSAL-

PSALMORUM LIBER PRIMUS

PSALM. I.

Beatus vir qui non abijt &c.

Omnibus certè ille modis beatus,
Impijs qui consilijs malorum
Inter est nunquàm, temerāte nullo
Crimine vitam.
Cauit errantúmq; viam peramplam
Ingredi, sectarier & profana,
Futilis de more, dolosa, gentis,
Fulcra, cathedræ.
Sed dies totos vigilesq; noctes
Latus impendit monitis IEHOVAE,
Legibus sacris, studio frequenti,
Mente fideli.
Hic erit palmæ similis, fluenta
Propter est quæ consita amœna, semper
Et virens & flore nitens, & anni
Tempore iusto
Proferens fructus, foliis honorem
Et comis seruando simùl decentem;
Munere & spes baccifero coloni
Votaq; complet.

Illius sors cuncta potenter ausa
Adiuuat; quò prosperè id omne cedat
Quod facit, rectusq; fauente summo
Numine tentat.

Sed malis contrà genus omne agetur
Impium infestis; erit vtq; gluma
Quæ Notho raptata furente latum
AEthera transit.

Ergo & expertes pietatis alma
Excèdent causâ; veniet suprema in
Nube cùm iudex sceleris malignum vt
Arguat orbem.

Candidâ turbaq; procul virorum
(Triste) iustorum, scelerata prauis
Moribusq; infecta cohors remota,
Tartara adibit.

Namq; iter nouit Dominus piorum
Et probat; calles velut impiorum
Cognitos odit, scelerum reos pes-
sundat & omnes.

PSALM. II.

Quare fremuerunt gentes.

GEntium quid quæso tumultus iste
Omnium? quid pacta manu insolente
Facta? cuînam tanta pericla totus
Fabricat orbis?

Cur minus audax misero caterua
Tendit immanes Proceresq; terra

Conferunt Regesq́; simùl malignè
Fœdera iuncta.
Dissipent vt cœpta Patris supremi,
Sede deturbentq́; sacrâ beati
Spiritus vnctum Genitum IEHOVAE.
Munere pleno.
Vincla rumpamus violenter, aiunt,
Et iugum illorum excutiamus ásprum,
Legibus spretisq́; palàm feramus
Libera colla.
Sed pater diuûm residens olympo,
Despicit ridetq́; videns inanes
Impetus, grandesq́; manu potente
Reprimit ausus.
Intonans olim trucibus Tyrannis,
Haud dabit quaquàm placitura dicta,
Asperis sed concutiet proterua
Pectora verbis.
Arma & iratus capiens, rebellem
Morte mulctabit, cumulumq́; in vnum
Coget is gentem subigetq́; ; déhinc sed
Talia fatur:
Inclytum elegi statuiq́; Regem
Ac Ducem vobis, tribuiq́; sacro
Sedem huic in monte Zionis, atq́;
Regia sceptra.
En, ego magni referam IEHOVAE,
Rex ait, decreta palàm per orbem;
Ore diuino genitor quod olim
Sic mihi dixit:

Vnicè

Vnicè es patri mihi cara proles,
Mente tu prognata meâ es vel vsq;
AEuo ab æterno, mihi tuq; sola
Numine par es.

Posce me, tradam tibi possidendas
Plurimas gentes, faciamq; vt vltrò
Colla submittant tibi cuncta vastum
Regna per orbem:

Queis dabis verus velut vnus hæres
Iura, per mundumq; tui sit omnem
Imperi meta, ac vbi finit ille,
Terminet illud.

Conteres sceptroq; feros aheno;
Sed reges virgâ patriâ modestos
Prauius, duros minuesq; frangens
Viribus vltor:

Fictor vt formata luto indecenter
Vasa confringit, crepitante testâ
Dissilit quando fragilis, supina
Illita terra.

Ergò nunc aures adhibete apertas
Principes regesq; mihi potentes;
In suam diuinitus est potestas
Queis data plebem.

Iura qui fertis populis verenda
Iudices, ô subdite nunc habenis
Vos DEI, huic seruite pio timore,
Lætitiaq;

Semper in vestris tremor esto mixtus
Mentibus; sed figite & oscla Nato

Grata, vosmet conijcite inq; sanctum
Huius amorem.
Et fidem; ne forsitan ira spreti
Eius erumpat, simùl ac furorem
Cep it, in neruum, medio inq; cursu
Sic pereatis.
Paulò enim pòst excita bilis ardens
Illius, terramq; polumq; flammis
Prorsùs inuoluet rapidis, furoris
Feruido in æstu.
Is sed est verè & solidè beatus,
Spes cuí in Nati residet locata
Munere, & fiducia certa, seclo
Hoc & in illo.

PSALM. III.

Domine quid multiplicati sunt.

PRoh fidem Diuûm, subitò manus quàm
Densa & hostilis misero vel vni
Ingruit, vexans odijs acerbis
Me sine causá
Ah pater mî, turba vide maligna
Quàm meæ vitæ neget insolenter.
Quam recepisti mihi tu benignè
Ipse salutem.
Est genus fidum malè, quod loquaci
Ore proclamat; superesse nullam
In DEO posthâc mihi spem salutis,
Quæ leuet ægrum.

Sed tamen semper mihi tu patronus
Permanens fidus, columen salutis
Es meæ, insultus rapidosq; contra
Scutum & asylon.

Tu meæ es solus decus omne laudis,
Atq; suscepti mihi honoris autor,
Tu meum tollensq; caput, coronas
Gloriâ, in altum.

Supplici cum voce fidem supremi
Patris imploro, mea vota clemens
Suscipit, de vertice me sacrati
Montis & audit.

Quando declino mea lassa somno
Membra nocturno, vacuus pauore
Dormio & curis, vigilansq; rursus
Lucis ad auram.

Integer surgo, redeo piasq;
Ad preces & munia iussa, fidus
Exequi hac conorq;, fauente cœptis
Numine Dio:

Quod mihi supra caput adstat omni
Tempore, à tergo remouet meoq;
Impetus aususq; feros Tyrannûm &
Dæmonis omnes.

Agmina vt me millia multa vallent
Hostium circum, nihil hos morabor
Non enim terrere metu me ahena
Arma valebunt.

Mi DEVS te corripe sede ab altâ
Et mihi præsens fer opem salutis,

Hostium malas quatiensq; duros
Frange molares.
Ipse munimen Dominus salutis
Ac decus summum est generi piorum,
Se cui illius dat & alma sponte
Gratia in usus.

PSALM. IIII.

Cùm inuocarem exaudiuit.

INuoco supplex quoties, IEHOVAH,
Te, fauens audi, integritatis unus
Qui mihi es testis, querulis benignus
Annue votis.
Rebus oppresso miseris & arctis
Nil ubi vel consilij super vel
Est opis, placatus ades; preciq; at-
tende vocantis.
Principes, quaeso, ecquis erit furori
Iam modus tandem? pietas quid ultrà
Temnitur vobis mea duciturq;
Gloria probro?
Quid iuuat mendacia vana dictis
Spargere in vulgus stolidum proteruis?
Quid meum falsò decus abrogare
Vsq; libebit?
Discite ô morem varium & stupendum,
Quo fouet ducitq; pios IEHOVAH;
Qui meos nouit gemitus adestq; in
Vota vocatus.

Numinis vitate metu verendi
Impetum irarum vehementiorem;
Ne furor fortaſſe malum, cauete,
Suaſerit amens.

In ſuo expendat tacitè cubili
Quisq; perpeſſus mala quæ ſit inſons,
Prouidâ voluatq; ea mente ſecum,
Sitq; quietus.

Thure non aræ impoſito flagranti,
Corde ſed puro eſt Domino litandum;
Sic vites lætas dabit ille rursùs
Spemq; ſecundam.

Plurimi (mortalia pernegantes
Scilicet curæ eſſe DEO) quid ille
Conſulat, dicunt, valeát ne recta
Ille docere?

Sed DEVS tu lumina blanda vultu
Sparge fac nobis placido, & fauoris
Patrij da ſigna, fuga tenebras
Mentis & atras.

Tu meo das gaudia læta cordi
Tu tuis mœſtum exhilaras q; rurſùs
Dotibus, poſſim quibus hîc beatam
Degere vitam.

Cæteris tantùm in Cerere eſt voluptas
Summa & in Bacchо, iuuat hos & auri,
Siue per fas ſiue nefas, aceruos
Accumulare.

Interim ſecurus ego recumbam,
Nempe ſopitus recreante ſomno

Membra, iam cura vigili ac diurno
Fessa labore
Namq; tu solus mihi ades IEHOVAH,
Reddis optatamq; bonus salutem:
Te nihil desidero prater istâ
Sorte beatus.

PSALM. V.

Verba mea auribus percipe.

AVribus, quaso, mea dicta, mœstam
Percipe attentisq; fauens querelam,
Cordis & cognosce mei, IEHOVAH,
Intima sensa.
Flebiles quæstus, precor, ô IEHOVAH,
Te probes sentire meos, ad instar
Et DEI quem nil latet, & potentis
Omnia Regis.
Te pijs posco precibus salutem
Luce sub primaq; saluto voce
Te piâ, fac manè eadem tuas per-
tingat ad aures.
Luce cum prima sacra templi adibo
Tecta, vt adiungam mihi voce blandâ
Ad meos vsus tua, feruidusq;,
Numina, votis
Non, DEVS, vis esse malum, malorum
Autor vt nulli es neq; causa, tecum
Nec locus conceditur vlli, iniqua
Facta patranti.

Qui ſuas iactant nimis inſolenter
Improbas artes, alias premuntq;
Res ſuas tollunt, animi & mali mo-
limina produnt,

His palàm vultum retrahis paternum;
Eſt & inuiſus tibi prauus atq;
Vanus & mendax: quia fas & æquum in
Crimina vertunt.

Perdis ergò omnes meritò, IEHOVÆH,
Cœdis autoresq;, doliq; plenos,
Prorſus excindes, reputans & horrens
More piacli.

Tecta ego ſed ſacra tua reuiſam
AEdis, hoc, quòd gratia nulla cordi
Sit tibi, clementia teq; flectat
Plurima, fretus

Vno, adorabo tua dia votis
Numina & caſtis venerabor atq;
Ceu decet, ſanctèq; tolam remotâ in
Sede ſacrarI.

Tu meos greſſus Domine ô gubernes
Prævius, iuriſq; regas ad inſtar
Me tui, hoſtilis noceat mihi ne
Impetus vllus.

Proferunt quæcunq; maligni ab ore
Plena ſunt fraudis, malè fida; fœdam
Nil habent quam ſpurcitiem nocensq; in
Pectore virus.

Gutiur illorumq; patet ſepulchri
More, quod fœtore ſcatet recluſum,

Blandiens & lingua dolosa spargit
Dira venena.
Increpans ostende reos nefandi
Criminis tales, DEVS, vt tenaci
Decidant de proposito, cruentis
Consilijsq;.
Vrbe eos expelle tuâ, recisos
Stirpe cum totâ; quia noxa eorum
Plurima est, qua sæpè tua est furenter
Læsa voluntas.
Nam tibi opponunt petulanter ausis
Grandibus se, nil sibi temperantes,
Quin agant tuis contraria vbiq;
Legibus vltrò.
Sed tua qui se fidei paternæ
Credere haud vnquàm dubitant, opisq;
Sunt tua certi, capiant ouantes
Gaudia mente.
Gestiant prælætitiâ, perenni
Gloriâ exultent, placidâ sub vmbrâ
Quòd tuum qui nomen amant coluntq;
Protegis ipse.
Tu fauens iustis benedicis; atq;
Gratiâ donas, velutiq; scuto
Cingis hos firmo, tibi vita quorum
Ritè probatur.

PSALM. VI.

Pœnitentialium Primus.

Domine ne in furore tuo.

Ne re-

NE reum quæso argue me, IEHOVAH,
Nec rape ad pœnam subitò merentem,
Ira dum feruet furor inq; cursu est,
Flagrat & æstu.

Supplici iam parce tuo, benigne
Mi pater, sontis miserere & aurem
Admoue lenem lachrymis amaris
Crimina flenti.

Languidus sum corpore, mente & ager,
Ossibus meq; exanimat solutis
Robur amissum; medicam dolori ad-
iungito dextram.

Tanta vis morbi est, mihi mens vt omnis
Territa & prostrata cadat dolore:
Vsq; quo differre mihi salutem
Pergis IOVAH?

Vsq; quo auertes pater alme vultum
Instar irati, miserumq; linques?
Rursus ah placatus ades, malisq;
Eripe tantis.

Quæso quid tàm morte citâ iuuabit
Auocare & condere me sepulchro?
Nùm tui possim memor esse, cassus
Munere vitæ?

Spiritus tristis gemitu frequenti
Hocce confectum dedit omne corpus;
Sparsus in noctem refluis thorusq;
Innatat vndis.

Perdidi iam lumina fessa fletu,
Curaq; exedit faciem, iuuentæ

Florem & absumpsit: quia me coarctat
Hostis vbiq;.
Sed tamen spe viuo bona; facesse
Hinc malas ergò impia turba in oras,
Nam meos questus placidâ IEHOVAH
Percipit aure.
Actibus gaudens scelerum nefandis.
Irrita ac sperans procùl hinc recede
Turba: nam fletus miseri IEHOVAH
Supplicis audit.
Lachrymis motusq; meis, benignè
Annuit votis precibusq; tandem
Atq; donauit toties petitam
Antè salutem.
Ergò suffusi pauido rubore,
Qui meæ vitæ insidiantur hostes
Retrò eant, horror gelidus repentè
Obruat omnes;
Inuident quicunq; animo furente
Hanc mihi, qua Patre fauente summo
(Illius solâ bonitate dignâ)
Gaudeo sorte.

PSALM. VII.

Domine Deus meus in te speraui.

O Meæ spes vnica vitæ IOVA,
In meis ô præsidiumq; rebus
Lubricis firmum; toties petitum
Affere telis

Hostium, letho tenuemq; vitam
Eximè instanti, eripe me cruentis
Faucibus, ne more leonis artus
Hosce prehendant

Atq; discerpant, animam trahantq;
Hanc simùl sub iura sua insequentes;
Viderint si vindice me misellum
Fortè carere:

Te voco testem, Domine ô Deusq;
Integrum; si me arguit vlla culpa,
Si malum prudens facinus peregi,
Siue notauit.

Has dolus palmas; mala si rependi
Pro bonis; si pacifico creaui
Damna; si insensos mihi, prater omnem
Culpam, ego læsi:

Persequens ferro violentus hostis
Prendat hanc sternatq; animam merentem
Sic, humi, me morte feraq; mulctet
Crimen ob atrox.

In tuo exurgens Domine ô furore
Obuias conatibus ito diris
Hostium, confringe superba colla
Meq; prementûm.

Muneri me redde fauens priori,
Ipse mandabas mihi tu quod olim,
Dum gregem sub monte pusillum amœno.
Lætus agebam.

Tunc tibi se gens studiosa recti
Denuò adiungens, colet in supernâ

Sede.

Sede, te Regemq; suum Deumq;
Laude perenni.
Iudicat iustè populos IEHOVAH
Asserens rectos humilesq; fastu
Turgidos, praui sceleris reosq;,
Sed malè plectens.
Ergo me, qui conscius ipse recti
Sum mihi, causamq; meam decenter
Quæso disceptes foueasq; pendens
Lance probatâ.
Sit modus tandem scelerum, maligni
In suis ipsi pereant proteruis
Ausibus, culpisq; ruant nefandis
Protinus omnes.
Sed pios & iustitiæ tenaces
Asserе, ô tu iuste DEVS; tueris
Qui, quod in renum latebris recessu &
Cordis in imo est.
A Deo pendet mihi spes salutis,
Qui suo me præsidio tuetur,
Simplices & corde fouens paterno
Curat amore.
Integer iudex Deus est & æquus
Arbiter, qui quottidiè minatur
Impijs, seruatq; suos fideles
Numine dextro.
Quin malis ni pœniteat relictis
Iam tenet vindex gladium vibrantem
Dexterâ, tensoq; retorquet arcu
Tela cruenta.

Tabe & infectas iaciens sagittas
Sœuus vrenti, rapidâ malignos
Morte sublatos cupit, estq; nulli
Parcere promptus.

En scelus qui parturijt nefandum.
Et malo iam nequitiem labore
Hausit, is vanum pariendo fœtum
Edet in auras.

Fecit anfractus fouea recurnos
Astu, vt incautos caperet; sed ipse
Autor in fossam cecidit dolosâ
Arte paratam:

Vt dolus sic artificis rediret
In caput retrò proprium volutus;
Sideret concepta luesq; fraudis
Vertice summo.

Interim defunctus ego periclis
Omnibus, liberq; metu IEHOVÆ,
Iura quòd censor tulerit mihi æqua,
Iustus & æquus

Debitas grates referam, canamq;
Nomen excelsum, repetamq; laudes
Illius, latusq; sonabo eidem
Nobile carmen.

PSALM. VIII.
Domine Deus noster.

NOster ô Rex summe, Deusq; rerum
Conditor, quàm magna tui per omnes

Nominis ſancti, celebriſq́, & ampla eſt
Gloria gentes?
Quanta maieſtas tua, quanta virtus
Cognita, ingentis ſtupefecit orbis
Incolas, compleuit & alta laude
Sidera cœli?
Tu pio infantûm ore tibi paráſti
Robur, & vitam à tenero trahentûm
Lacte, feciſti tibi laudis inſtru-
menta decentis.
Vt tibi linguis temerè obſtrepentes
Atq́ vindicta cupidos retundas;
Sanguinem quorum ſitit os, furoremq́
Euomit in te.
Cerno cùm cœlos oculis & aſtra.
Solis & Lunæ, rutilumq́ lumen,
Quæ tuis conſtant digitis parata.
Mente ſtupeſco:
Tum meum ſenſus ſubeuntq́ tales
Pectus: ærumnoſus an ille tanti
Fit tibi, vt curâ memori ſecundo
Numine & ipſum
Protegas? mirum, ſobolis propago
Si ſit humana tibi ſic amata;
Viſere vt digneris vbiq́ ſpretam,
Nemini amicam.
Iſtum enim quamuis inopem ſalutis
Deſeras tempus breue, ceu relictum
A DEO; virtute DEO tamen par
Eſt & honore.

Gloriâ ornatoq; dëin perenni,
Seruient quæcunq; polus solumq;
Continent, finxit quæ quaq; dextra &
DIa peregit.

Cuncta huïc vni pedibus domanda
Subijcus, parentq; boues ouesq;
Huic, maris pisces, volucres olympi, ex-
amina ponti.

Noster ô Rex, magne Deus IEHOVAH,
Nominis quam fama tui stupendum
In modum se extendit in ampla vasti
Climata mundi?

Nomen admirabile solus omni
Ducis in terrâ, tua sparsa virtus
Vndiq; in multis etiam sonat de
Numine rebus.

PSALM. IX.

Confitebor tibi Domine.

PRoferam grates meritas IEHOVAE
Pectore ex imo, tua facta latè
Inclyta & miranda canens honoro
Carmine pandam.

Latus in te mulceo corda blandis
Gaudijs, ô magne DEVS, celebro
Laudibus nomenq; tuum supremo
Numine dignis:

Quòd meos hostes video retusis
Viribus, te, terga dedisse, iusto

Vindice, horrendâ & subitò ruentes
Strage perisse.
Tu meâ pro parte stetisti, vt æquus
Arbiter, celso residens olympo,
In meâ fers iudiciumq; causâ
Lancibus æquis.
Increpas gentes grauiter tremendis
Vocibus, dextrâ subigis potente
Impios, queîs perpetuâ liturâ
Nomina deles.
Ensibus nullus locus est acutis
Amplius iam, hostilia vbiq; cessant
Arma, demolita iacentq; passim
Oppida vasta.
Hostium vix vllus erit superstes,
Posteris qui res malè narret actas
Forsitan seris, abolere ad omnes
Quos cupis annos.
Sed parens rerum sine fine regnum
Obtinens, celso populis throno ius
Fert suis, vt iustitiæ tenacis
Postulat vsus.
Vnus is pensans sine amore & irâ
Iudicat causas, soluit malisq;
Debitas pœnas, tribuit bonisq;
Præmia digna.
Legibusq; orbem regit ipsius æquis,
Et sibi addictos populos gubernans
Asserit, iustisq; modis tuetur,
Protegit, ornat.

Præsidi pressisq; loco est IEHOVAH,
Et paret tutum miseris asylon,
Pauperi spes vnica & est salutis,
Rebus in arctis.

Quare & in te spem solidam vel vno
Collocant, queis fama tui sacrati
Nominis iam nota suos recenter
Venit in vsus.

Nam tua qui se fidei paterna
Tradidére, & te precibus fatigant
Sapiùs, poscunt & opem salutis,
Linquere nescis.

Præsidem laudate Zionis almæ
Canticis, quæ fecerit atq; latè
Ferte per gentes, & vbiq; latâ
Dicite voce:

Expetit vindex memor innocentis
Sanguinis pœnas, humiles preces q;
Pauperum tristesq; piâ querelas
Percipit aure.

O mihi iam parce precor IEHOVAH,
Et meis tu consule rebus ipse,
Perditis iam pœnè, feri per hostis
Vimq; dolosq;.

Eripe hærentem propè iam profundis
Faucibus mortis rabidæ, redemptor;
Debitis vt laudibus ad Zionis
Mœnia celsa

Efferam te, munera mira dicens,
Et tibi acceptam referens salutem;

Te bonum latis numeris celebrem
Instar ouantis.
En vbi gentes? vbi fraus? vbi vis?
Subruit defossa mihi malignos
Scrobs, mala vt plerunq; suos magistros
Tristia perdunt.
Retia & casses posuit dolosè,
Et specus mi praua cohors parauit;
Mox sed harere implicita est pedes de-
prehensa retentos.
Nempè sic dat iuris & æqui IOVAH
Signa, cùm se fraudibus autor ipsum
Implicat fraudum, propriaq; tandem
Interit arte.
Res ea est diuina, modis stupenda
Omnibus, condendaq; cordis imo
In sinu, fiant modò quòd vigore
Talia verbi.
Impij, queis cura DEI recessit
Omnis, infandi latebras sub orci
Corruant, gentes subeant profanæ
Tartara diræ.
Sed pia & recti studiosa turba
Curæ erit cunctis Domino diebus:
Spes tenax quit fata maligna passos
Ludere nunquàm.
Cœlitum Rex surge precor, vetaq;
Ne furens vires homo fortè sumat;
Imperi freniis preme duri & omnes
Obsecro gentes.

Iure tractandum tibi tu seuero
Suscipe illarum reputaq; causam,
Vimq; vi tandem superа probrisq;
Obrue labem.

Impijs sensum injice fac IEHOVAH,
Numinis læsi nimis insolenter;
Esto disciplina grauis magistra,
Frangere mentes

Qua feras tandem valeat superbasq;
Vt suam discant homines caduci
Tristibus pœnis moniti imbecillam a-
gnoscere sortem.

PSALM. X.

Vt quid Domine recessisti.

HEu, quid à cœtu misero, IEHOVAH,
Tàm procul te tamq; diu recedens
Subtrahis, nostris penitùs latesq;
Rebus in âspris.

Dum furit pressos premit acriusq;
Impius, pauper patitur nefanda,
Iste & afflictus noua sæpè cladis
Semina sentit.

Improbi quærunt socios tyrannos
Viribus quò plus valeant & armis;
Cogitant artesq; malas, dolosâ
Fraude cohærent.

In caput sed sæpè scelus scelestum
Vergit, innectitq; suos magistros,

Et suis plerunq; perit dolosis
Artibus autor.
Voce blanditur sibi, iactitatq;
Impius quacunq; facit proterue;
Perq; fas partis opibus nefasq;
Gaudet auarus.
Ac vbi iam vota facit profano
Ore blasphemat Dominum, suasq;
Somnio indulget sapientiæ atq;
Prosperitatis.
Bile contemptor pietatis acri
Atq; sic fastu tumido insolescit;
Nullius vires, hominis nec arma vt
Sœua moretur.
Nec Deum curat. statuens potestas
Nulla quid sit vel superis relicta,
Cuncta quæ vindex oculis patrata
Cernat acutis.
Voluit hanc curamq; animo & reuoluit
Vnam, vt in cœptis semel vsq; pergat
Consilis actisq; suis supremi
Numinis iram
Arguat spretam sibi; indicioq;
Illius vim ventilat, inq; tantas
Spes ferus fertur, queat vt vel hostes
Vertere flatu.
Ipse persuasit sibi cuncta fausta,
Corde sic secum retutat superbo:
Ecquis aduersus mihi casus, vlla
Visue nocebit?

Quin, ait, ducam spacioſa vitæ
Tempora, hîc rebusq; fruar capitis;
Nec locus fatis erit vllus in me
Lictus acerbis.

Illius dirasq; vomit malignum
Os, quod est furtisq; dolisq; plenum;
Pestilens & lingua serit labores
Atq; dolores.

Currit & per compita semitarum
Ipsus, apparetq; frequens ad alta
Atria, & captat loca sic vbiq;
Obuia fraudi.

Vt bonos rectosq; viros furenter
Cœdibus miscens medio nefandis
Tollat, obseruans miserosq; acuto
Lumine perdat.

Abditis antris latitans quiescit,
Et scelus secum meditatur atrox;
(Subter vt spelæa leo cruentus
Delitet alta.)

Vt citò inuoluat laqueis euntes
Præter incautos, validoq; reti
Implicet, captos subigat neciq;
Tradat acerba.

Ah quot infandas miseros trucidant
Edidit strages, violentus, absq;
Ordinum discrimine, dum furenter
Sustulit omnes.

Hacq; dum patrat sceleratus, ore
Effero iactat, malè credulusq;

Colligit ſecum: DEVS ecquid vnquàm
Vindicet iſta?
Imò, ait, mortalia nemo cernit
Mente nec curat memori DEVS; quin
Planè ab humanis ſua rebus vltor
Ora retraxit.
Ergò iam iam ſurge DEVS IEHOVAH,
Fulmine armatoq; tuam tonante
Dexteram, oppreſſi tibi cura nec de
Corde recedat.
Nam DEI quid numina ſancta fretùs
Impius blaſphemet, & iſta corde
Cogitet ſecum tacito, procaci &
Efferat ore;
Te nihil curare homines, benigne
Dextra ſeu fortuna iuuet bonos, hîc
Improbè ſeu laua malos fatiget,
Seu vice verſa
Rebus humanis malè fida ludens,
Mater his mitis faueat; ſed illis
Proſpera obliquè inuideat, nouerca
Inſtar iniqua.
Sed tuos ſunt antè oculos ſceleſti
Quæ patrant; ſunt in manibus tuisq;
Pauperum cura, labor ac dolor queis
Diſcruciantur.
Namq; ſe totos ſua cuncta & vni
Credere audentes tibi, non relinquis;
Tu pater, tu tutor es orphanorum &
Auxiliator.

Fac manum confringe potens rebellem
Impij, mentis violentiamq;
Improbæ compesce DEVS, nefas &
Omne require.
Stirpe sicq; imâ veritas reuulsa
Tandem erit, te vindice, iniquitasq;
Omnis, vt facili monumenta praui
Nulla supersint.
Rex in infinita manens IEHOVAH
Imperi sceptra obtinet, vsq; secla;
Planè at excisas regione gentes
Perdet auitâ.
Pauperum desiderium IEHOVAH
Votaq; exaudis, facilis benignam
Commodans aurem his, quibus ipse corda
Lubrica firmas,
Imbuis certaq; fide, quòd auris
Prona versatur medijs piorum in
Vocibus semper tua, suscipisq;
Vota precantûm.
Pauperi promptus quòd opemq; præstas,
Tutor es pupillo, inopi patronus;
Spiritus deponat homo superbos
Donec iniquus.
Desinat sæuire ferox genusq; in
Infimum, insaniq; faces furoris
Corde restinguat, sibi sortis ipse
Conscius imæ.

In Domino confido.

CVm fruar spe non dubiâ salutis,
Et DEO tuto intrepidèq; fidam;
Ergo cur vos hanc animam iubetis
Quærere asylon
Auijs in montibus, vnici instar
Alitis? tendunt (velut ipse cernis.)
Ferreos arcus, celeres sagittas
Imposuerunt
Impij neruo, vt feriant latente
Fraude, configantq; viros modestos
Mentibus cœcæ nihil aut dolosæ
Fraudis habentes.
Destruunt funa amina sacra, leges
Dissipant sanctas, animiq; rectos
Negligunt, his spemq; putant salutis
Prorsùs ademptam.
Sed quid ad tales Dominus? sacrato
Præsidens templo & nitidum beatus
Incolens cœlum, videt inde acuto
Lumine cuncta.
Palpebris nictantibus ille natos
Semper obseruans hominum probansq;,
Adiuuat iustos reprobosq; punit
Arbiter æquus.
Ille subiectum moderatur orbem
Præpotens, ac prouidus is piorum
Perspicit mentem, probat atq; cor ex-
amine tentans.

Ad nefas pronos ſtudio maligno
Odit impensè, ſcelerumq́; monſtra
Horret, vt iuſtus ſcelerata vindex
Factaq́; damnat.

Quin & iratus, ſuper impiorum,
Tela flammarumq́; globos, cateruam,
Sulphuris tetri & graue olentem Olympo
Depluet auram.

Digna vt ipſorum meritis rependat,
Præmia, & ponat rabido furori.
Poſt modò finem piceis procellis,
Grandine & igni.

Iuris eſt & iuſtitia IEHOVAH,
Autor & fautor; amat æquitatem
AEquus, & blando placidè intuetur
Lumine rectos.

PSALM. XII.

Saluum me fac Domine.

ADſer ô ſeruator opem IEHOVAH,
Præſtò ades ſeruare gregem puſillum:
Nam ferè ſancti & vacui ſuperſunt
Crimine pauci.

Rara in humanis quia rebus extat
Iam fides, iam candor amicus orbe
Exſulat, liquitq́; hominum pudor com-
mercia honeſtus.

Proferunt vtrinq; homines nefanda
Verba fallentes, vagus exit ore

Sermo ab infido, meditatur & mens
Dissona labris.
Oris exscindat Dominus dolosi
Labra, quæ fert blanditias q; linguam
Improbam, cui verba fluunt q; grandi
Edita flatu.
Fac eos de stirpe DEVS reuelle,
Quos pudor nullus vetat insolenter
Proloqui prauo meditata corde
Talia verbis:
Crescit obseruantia nostra linguæ
Quæ reget dictis animos, sequaces
Et sibi inflectet, neq; dicta censor,
Corriget vllus.
Noscitur nobis Dominus nec vllus.
Imperans, aut arbiter istâ reddens
Cassa, quæ vel cunq; semel probauit
Nostra voluntas.
Annè relinquet DEVS hæc inulta?
Haud ita est fas; sed, mihi vox ad aures
Venit & planctus miserorum, iniquè
Dura ferentûm,
Inquit: Exsurgens igitur mouebo
Hinc pedem, mecumq; salus sit ipsa
Lam comes, solamine recreans quæ
Subleuet ægros.
Verba quæ profert Dominus sacrato
Ore, sunt purissima, postulato
Puraq; argento mage, quod perurens
Septimus ignis

Scoriam, decoxit & in catino
Fictili fecit, sine fece crassâ,
Fusile, exhalante camino olentem
Sulphuris auram.
Tu tuum custos pecus ô IEHOVAH
Ipse seruabisq; regesq; gentis
Liberum infidaq; manu perenni
Tempore duces.
Gens enim secura Dei nefandis
Ausibus grassatur vbiq; latè,
Et pios contra feritate sauit,
Cuncta cruentis
Cœdibus miscens, sacra fraude viq;
Iura peruertens; metuenda quando
Imperi sunt sceptra bonis malorum &
Impia iussa.

PSALM. XIII.

Vsq; quo Domine obliuiscéris.

QVò tibi nàm cura mei IEHOVAH
Cessit? ah cur perpetuò relinques
Me, tuam auertens faciem, precantis
Votaq; spernes?
Vsq; quò mentem hanc cruciabit ægram
Cura, & in partes varias meum cor
Diuidens torquebit? an auxilI spe
Distrahar vltrà?
Quæso dic quis finis erit furori
Hostium? presso mihi qui proteruè

Tàm diu insultant, & agunt superbos
Sapè triumphos.
Mi DEVS flecte hùc faciem, precesq;
Has fauens admitte, measq; lati
Luminis candore tui tenebras
Discute tristes.
Ne grauis somnus gelida repentè
Mortis obrepat, mea sopiatq;
Lumina inuadens, stigijsq; tandem
Occupet vmbris.
Neu ferus iactet mihi praualentem
Se, dolis ac viribus arroganter,
Victor insultetq; meis acerbè
Casibus hostis.
Neu meo se turba graui dolore
Improba oblectet, tacito in sinuq;
Gaudeat, me tot mala dura passum
Succubuisse.
Sed licet proiecta meæ salutis
Spes ab humanis videatur esse
Præsidis, rebus nec amicus ægris
Consulat vllus:
Te tamen nitur pater ô tuaq;
Gratiâ, fiduciâ opisq; certâ,
Qua fauens præstò es miseris, iuuare
Promptus eosdem.
Gestiens hinc visceribus cor imis
Concipit plausus, positis acerbis
Fletibus, spe iamq; leuante lætâ
Tristia damna.

Hinc seges nascetur & ampla laudis
Mi tua, gratus tibi consecrabo,
Qua fluent de fonte meo sonora
Carmina, soli.

Te piâ semper referam benignum
Voce, te Rex magne canam, tuumq;
Efferam latus super alta sanctum
Sidera nomen.

PSALM. XIV.
Dixit insipiens in corde suo.

IMpius secum malè corde sano
Pernegat, (quamuis fateatur ore)
Numen, indulgens vitijs metu se-
curus ab omni
Numinis; recti studium boniq;
Curat haud quisquam, pariter sed omnes
Ad malum proni scelerata gaudent
Facta patrare.
Quare & arguit is oculis IEHOVAH,
E polo natos hominum micante
Quarit obseruans, sapiát ne de tot
Millibus vnus.
Qui colat curetq; Deum; sed error
Auius cunctos tulit, hoc in orbe
Qui boni quicquàm faceret, repertus
Nec fuit vllus.
Increpans ergò moderator orbis
Infit his dictis: scelerúmne tandem

Autor attendet, referam quid acri
Percitus ira?
Consilis án non aliquando sanam
Visum erit prauis adhibere mentem,
Qui colunt tantùm rabidi profana
Numina ventris?
Instar escarum populum vorantes
Qui meum; nec voce piâ Iehouam
Inuocant, nec mente colunt, nec vnquàm
Recta capessunt.
Hîc vbi nulla est ratio timoris
Expauent, horrore graui trementes;
Inguinis tantùm cupida gulæq;
Dedita turba.
Gentis ac iustæ DEVS est patronus
Fidus, hanc præsensq; suo tuetur
Numine, hanc & perpetuâ salute
Ipse beabit.
Vt pium vos consilium miselli
Impiè spernatis homuncionis;
Nixa fidentem tamen in Deo spes
Fallere nescit.
Ah opem præstet DEVS ex Zionis
Arce, promissam generi Israëlis,
Liberet gentemq; suam potenter
Carcere fœdo.
Gaudio tunc exiliet Iacobus,
Gestiet stirps lætitiâ nouaq;
Isaci, assultuq; fremet, malorum oblita priorum.

PSALM. XV
Domine quis habitabit.

QVis pater ſupreme manebit ede
In ſacrâ tecum? tua quis beata
Incolet tentoria? quisue ſedem
Ciuis habebit
In tuo certam ſolidamq; monte?
Qui viâ incedit ſine labe rectâ;
Fas colitq; & ius, fidei velut lux
Prævia monſtrat.
Qui tenax veri, ſine fraude vera
Simplici de corde profecta fatur,
Et fugit lingua omne quod eſt doloſum
Atq; nefandum.
Proximo qui nec mala prauus infert,
Neminem inceſſitq; probris malignè,
Falſa qui conuitia, plena fraudum &
Scommata vitat.
Diuites qui deſpicit & potentes
Impios; ſed ſuſpicit ac honorat
Deditos ſanctis ſtudijs, timentes
Numinis alti.
Qui vouet ſacrum ſoluitq; votum,
Proximo iuratq;, requirat vſus
Forte ſi, nec relligione ſpretâ
Peierat vnquàm.
Qui nec vſuris auidis auarus
Deuorat quenquàm, renuitq; iniqua

Lucra,

Lucra, nec ius prodidit innocentis
Munere sumpto.
Quisquis hæc factis referens peregit,
Rectus incedit, requie beatâ
Hic fruens, post fata polo superstes
Omne per ævum.

PSALM. XVI.
Conserua me Domine.

QVi fouet, seruat, regit, ornat, auget
Cuncta, suffixus crucis in patibulo
Lurida pendens, quæritante voce
Talia fatur:
Mi pater soli tibi spes fidesq;
Nititur constans mea; tu periclis
Fac tuum tantis famulum IEHOVAH,
Eripe tandem.
Te patrem agnosco & Dominum colocq;
Filius seruusq; tuus manebis
Tu mihi solus Dominus paterq;
Seculo in omni.
Quippe te propter mala tanta sponte
Perferens, conferre tibi beato
Prorsus, houd quicquam queo, sed volenti
Pareo tantùm.
Has vices duras subeoq; sanctis
Pro tuis claros memorat colonos
Terra quos, soli mea sunt & illi
Summa voluptas.

Sed quibus cordi est alius salutis
Autor, hos odi miseros, scelesta
Quos habet mens attonitos & angit
AEgra dolore.

Non ego libamina ficta curo
Talium, dictis adhibebo nomen
Nec meis horum, pia quando patri
Fecero vota.

Sed mea sortis populum IEHOVAH
Ipse defendens, mihi erit laboris
Magna merces, pars calicis meiq;
Optima census.

Sors mihi in fundis cecidit benigna
Pinguibus, possessio patrimonI
Obtigit praclara mihi, perenni
Tempore durans.

Ergo agam grates meritas IEHOVAE,
Debitas laudesq; canam; fidelis
ConsilI diues mihi quòd per ipsum
Copia facta est.

Cuius & curas monitu probandas
Noctibus totis meditor, suos dum
Mittit in fibras mihi sapè sensus
Pectoris imas.

Quicquid attentare domi foris q;
Cogito, est semper mihi IOVAH praesens,
Et quidem à dextrâ mihi fidus adstat
Auxiliator.

Huius in nutum intueor, fidemq;
Septus imploro dubijs periclis;

Qui dat immotus maneam vt ruinæ
Protenùs expers.
Hinc nouam cor lætitiam subindè
Concipit, plausuq; strepente gaudi
Signa dat dulcis, tibi lingua gestit
Promere laudes.
Quin & hæc in morte caro quiescet
Tuta, spe vitæ melioris: istam
Non enim infernis animam sub vmbris
Vsq; relinques.
Nec tui corpus patiére sancti
Tabe corrumpi minimè fœdâ
Aut flui tandem in cineres solutum, vt
Putre cadauer.
Tu viam monstras mihi, quâ peremptis
Assequar vitæ bona, gaudijsq;
Perfruar cœlestibus, omni in æuo
Teq; celebrem.
Nam tuum sunt omnia læta vultum
Antè, tu semper saturante dextrâ
Et voluptatum genus omne sanctis
Diuidis vltrò.

PSALM. XVII.

Exaudi Domine iustitiam meam.

IVsta poscentem precor ô IEHOVAH
Promptus exaudi, his animumq; votis
Applica, fuco sine quæ bilingui
Labra volutant.

Tu mea sis arbiter ipse causa
AEquus, ac defende piam patronus
Fidus, oppressumq; oculis benignis
Aspice iustum.

Tu mei cordis penetras recessus
Intimos quæsitor ad isti & altâ
Nocte, me obseruans, nec imago fraudis
Vlla reperta est.

Hoc ago, vt sensus animi atq; verba
Consonent oris, referoq; vultu
Candido, mecum tacitus quod imo
Pectore voluo.

Ore quæ sunt cumq; tuo profecta
Iussa consector, fugiens latronum
Sed vias falsas, hominum instituta
Viro profana.

In tua impendi pia scita legis
Hanc ego curam procùl his remotis
Viuerem vt, quos pestiferâ notatos
Labe videbam.

In tuis me dirige quæso rectis
Semitis, firmare meosq; gressus
Perge, ne de calle tuo vacillet
Lubrica planta.

Voce te compello Deus IEHOVAH
Supplici, exaudi facilis vocantem,
Auribus pronusq; meis benignè in-
flectere dictis.

Planè opem mirâ bonitate confer
Iam mihi, ô autor dator & salutis

Omnibus quorum bene fulta ſpes te
Nititur vno,
Prorsùs in duris miſerisq; rebus;
Nempè dum ſœuit violentus hoſtis
Impetu feruente, tua audet & ſe op-
poneve dextra.
Me foue, caram cilia vt tenellis
Pupulam villis oculi tuentur;
Da tua incumbens mihi tegmen alæ
Præſtet vt vmbra.
Impios contrà & quibus arctor hoſtes
Peſſimos, dum parte premunt ab omni
Me, grauis fati miſerabilique
Sorte fatigant.
Viribus iunctis proceres eorum
Me cateruatim furibundi inermem
Impetunt, efflantq; minas feroces,
Ore ſuperbo.
Simplices, quacunq; pedem mouemus,
Obſident nos, ac oculis malignis
Cuncta perluſtrant loca, nos humiq;
Sternere tentant.
Qualis eſt prædæ rabido leoni
Ardor, inq; antro catulo leonis,
Quando odor notas pecudum propinquas
Attigit auras:
Sic & oppugnat truculentus hoſtis
Hoc caput ſœua feritate, amaram
Et necem incauto fabricat, nefandum
Exitiumq;.

Ergo conatus validos IEHOVAH,
Dissipa exurgens, rabido subacto
Hoste, & hanc ferro furit ille quo nunc
Eripe vitam.

Gente, quam plectit tua dextra vindex,
Asseras me quaeso; cui voluptas
Huius in vita posita est caducis
Prodiga rebus.

Cui tuis ventrem saturas auarum
Frugibus latis dapibusq; largis,
Plurimâ quae prole beata longo
Tempore floret.

Ipse sed spretis opibus superbis,
Eligam sortem potius beatam
Hanc; tuo aspectu vt mea post benigno
Pectora pascam.

Gaudio fiamq; satur perenni,
Cùm tua in me surget imago. seq;
Dia maiestas dabit intuendam
Lumine claro.

PSALM. XVIII.

Diligam te Domine. &c.

PRaepotens rerum Deus ô IEHOVAH
Te colam & complectar amore blando;
Impio quod me exsoluisti ab hoste
Vindice dextrâ.

Tu mihi vim sufficis, instar arcis
Tu mihi es, tu praesidium meumq; es,

Imo & assertor meus es Deus q3, &
Ardua rupes.
Cuî mea inclinata recumbit vni
Spes, cui nitor Clypeus q2 es idem
Tu mihi, cornuq3 salutis, atq3
Anchora vitæ.
Vota dum supplex facio IEHOVAE,
Illius laudesq3 piâ celebro
Monte. fatales subitò fugantur
Hinc procul hostes.
Mors enim me lethiferis ligabat
Vinculis, torrentibus Orcus vndis
Meq2 terrebat, stygia trahebar
Compede vinctus.
Nec mihi Solem superum videndi
Spes erat vellicta; moror quid eheu?
Iam plagis lethi pedicisq3 diri
Pendulus hæsi.
Ergò sic pressus miser obrutusq3
Casibus duris, querulâ Iehouam
Voce poscebam auxilium; fefellit
Nec mea spes me.
Nam Deo dum clamo meo, benignus
Audiens de sede coruscâ olympi
Annuit votis, & opem salutis
Attulit vltrò.
Ille erat valdè impatiens vt ira;
Sic fidem fecêre stupenda dIa
Signa vindictæ: tremefacta terra
Quippe fragore est

Horrido, & motus dedit inquietos
Intimis in viſceribus; ſoluti
Sunt ſuâ compage cauiq; montes
Numinis irâ.

Illius de naribus ibat aër
Fumens, ſpirabat & os furoris
Horridos ignes, tonitru ſonoro &
Fulmine ſæuo.

Ardui inclinansq; polos olympi
Ipſe deſcendit, pedibusq; nubes
Denſa ſuccedens gradientem opaco
Aëre clauſit.

Vectus idem Cherubeoq; curru,
Æthera immenſum ſecat, ales alis
Vt ſolet pernicibus, imò venti
More volucris.

Et ſua in caligine fixit atra
Caſtra, prætendit piceas & vndas
Concauis in nubibus, & latens ſe in-
uoluit amicta

Turbida fuluo nebula: ſed atras
Diſpulit fulgore nitente nubes;
Depluit grando lapidoſa acuto
Fulmine mixta.

Intonans motu horriſono IEHOVAH
Miſcuit cœlum vndiq;, fulmen ardens
Nubibus ruptis crepitante flammâ e-
miſit & idem.

Spicula in ſæuos ſua torſit hoſtes,
Terruit crebro pauidos metuq;

Fulgure iratus, subitoq; iniquos
Perdidit omnes.
Tunc aquis sunt visa solo profundo
Flumina exhausta (amnibus vndè amœnis
Est genus) tellusq; cauas lacunas
Pandit hiatu.
Scilicet tantum valet ó IEHOVAH
Vox tua immutare, minax furoris
Cùm tuis ex àcribus ira spirans
Naribus efflat.
Sed Deo sit iusta licet furoris
Causa; porrexit mihi dextram ab alto
Attamen, me traxit aquis profundis
Vorticis imi
Qui potens me vitenni valentem
Vindicat de vi validâ potentum
Hostium; elusisse odia in me eorum
Gaudet acerba.
Prapotens pugnauit & is salute
Pro meâ in rebus miseris & arctis;
Vita cui cura est mea, quo patrono
Nitor & vno.
Ille in angustoq; meas redactas
Orbe fortunas, spaciosa duxit
In loca, extremis rapuit potenter
Meq; periclis.
Diligit me namq; DEVS paternè;
Iusta quod sector, peragamq; puris
Integer vita manibus, probemq;
Non nisi recta.

Qui vias constans teneo IEHOVAE,
Nec meo me oppono Deo proteruis
Ausibus, nec tradita lege sacrâ
Dogmata sperno.

Nam mihi sunt ante oculos statuta
Illius semper, nec ab his vel vnguem ex-
orbitans latum temerè recedo,
Quin ea cuncta

Exequar, legis venererq; totâ
Mente sacratæ pia iussa, nunquàm
Quæ meo corde ábijciam, nec errans
Indè recedam.

Gaudeo fictâ sine fraude vero
Simplici, mentemq; gero maligna
Labis expertem, studioq; recti
Crimina vito.

Ius meum insontesq; manus IEHOVAH,
Qui videt præsens, mihi digna, iustus
Arbiter vindexq;, meis rependit
Præmia factis.

Talis es, te moribus esse quisq;
Vt suis vult: sanctus es ipse sanctis,
Rectus es rectis, bonus es bonisq;,
Candidus idem

Candidis, ac integer integris es;
Reprobis sed reprobus, atq; cautis
Cautior, cautas malè ludis artes
Atq; dolosas.

Pauperem seruas populum in periclis
Maximis, pressiq; caput vicissim

Erigis, fastuq; oculos superbo
Dijcis altos.
Tu meam accendis nitido lucernam
Lumine; euasi, duce te IEHOVAH
Mi Deus, tristes tenebras malorum
Omnium & atras.
En tuo in lucem reuocor nitentem
Munere, è squalore retractus, atq;
Sorte iam rerum potior priori
Pace beatus.
Conteram te praside saua castra
AEre stridentiq; leues phalanges;
Cum Deo saltu super alta muri
Culmina scandam.
Fortis audaci superabo Marte in
Prælio hostiles validasq; turmas;
Victor euadens Domino meo adiu-
uante Deoq;.
Qua Deus molitur, agit probatq;,
Recta sunt & labe carent; IEHOVAE
Sermo ceu fuco vacuusq; vano, &
Purior auro est
Ignibus cocto, ipsa fidemq; dictis
Res facit, cunctis clypei ille & instar
Est pijs, qui spemq; fidemq; in ipsum
Rite locárunt.
Num Deus curans homines & orbis
Temperans frena omni-patentis, IAM
Prater est? nobis alius DEVS nè
Præsidium ue est?

Præter hunc qui sidera clara cœli
Fecit excelsi posuitq; terræ im-
mobilis fundamina? cui creata
Omnia parent.

Me DEVS cingit validâ hos & artus
Roborat vi, in prælia quando Martem e-
duco, & ostendit mihi semitam omni
Labe carentem.

Qui meis das pedibus volucres
Addit, vt certare queam fugaci
Ceruo, & à sauis procùl hinc periclis
Sistit in alta

Me iuga, est si quando fugâ sinistro
Marte sub quærenda salus; & artes
Me docet belli, est vbi iam cruenta ad
Prælia ventum.

Dexteram exercetq; meam Magister
Ipse, tractandis habilem hanc & armis
Efficit, possim validis lacertis
Tendere vt arcum.

AEreum ex ferro solida rigentem:
Tu tuæ insigni clypeo salutis
Protegis me, numine adesq; semper
Tu mihi fausto.

Dextra me fulcit tua, iam labantem
Sustinent; tu quò magè deprimis me,
Hoc magis virtus tua me stupenda
Tollit in altum.

Tu mihi tutum medios per hostes
Transitum pandis, prohibesq; talos

Lubrico obliquos titubare greſſu
Saxa per âſpra.
Inſequens hoſtes mihi terga dantes
Aſſequi conabor & arte, & armis
Perdere infeſtis, penitùs potente
Marte ſubactos.
Conterens in fruſta minuta ferro
Bellico, tollam è medio proteruos;
Priſtino ne more mihi reſiſtant
Rursùs adepti
Forſitàn vires, pedibus iacebunt
Sub meis, poſtquàm cecidêre victi,
Nec caput tollent iterum è ſupina
Puluere terra.
Namq; tu me ad bella vigore alacri
Præparas, virèsq; mihi valentes
Sufficis, tu ſternis humiq; qui me
cunq; laceſſunt.
Tu meos hoſtes trepido pauore
Territos cogis dare terga: acerbo
Proſequi me quos odio ſeuerus
Cernis vt vltor.
Voce clamosâ Dominum vocantes,
Impleant vaſtum licet iſti olympum;
Non tamen votis cupidis eorum
Annuet ille.
Aure ſed ſurdâ ſinit hæc abire
Irrita, ac omni penitùs ſalutis
Caſſa ſpe; reſponſa dabitq; nullus
Sæpè petita.

Conteram tales velut Eurus acris
Pulueres dispellit, eruntq; cœni
Instar impuri, in triuijs lutosis
Attenuati.

Tu DEVS de seditione vulgi
Inuidi ereptum, caput ipse summum
Gentibus me constituis ferasq;
Subdere colla

Mi, meis parêre facisq; iussis:
Quin mihi ignotum populum in remotis
Finibus seruire iubebit orbis
Fama vel ipsa

Nominis nostri; data iussa obire
Prompta gens dictis adhibebit aures
Et meis pronas, fidei meæ se
Tradet & vltrò.

Sed, suis in compedibus molestis
Filij externi trepidant pauore,
Et metu pœnæ grauioris horrent
Regia sceptra.

Namq; conati fuerint tueri
Se suamq; in turribus atq; muris
Spem licet celsis; perijt tamen spes
Irrita tandem.

Sed meis tutela IEHOVAH rebus
Viuit, vnus petra meæ salutis
Ac DEVS regnat, celebrandus omni
Laudis honore.

Qui DEVS iustam in populos rebelles
Sponte vindictam mihi donat, idem

Et meis vltor pedibus superbos
Subijcit hostes.
Idem & ereptum trucibus Tyrannis,
Reddit his Martis potiorem honore,
Qui meis sese opposuêre iniquis
Partibus armis.
Ipsus à conatibus improborum
Vindicas me prœualidis IEHOVAH,
Tuq; tutaris caput hoc ab omni im-
mune periclo.
Hinc tibi grates soluam IEHOVAH,
Te canam, nomen referam tuumq;
Gentibus sparsis, vbi Solis almi
Terminus hæret.
Qui tuum regem cumulas salute
Plurimâ, per sœua iubes pericla
Esse & hunc tutum, populos regentem
Iuris habenis,
Qui tuum Christum meritis & amplis
Afficis, regni decorasq; honore,
Dauidis stirpemq; foues benignè, in
Secula cuncta.

PSALM. XIX.

Cœli enarrant gloriam Dei.

QVàm sit admiranda Dei potestas,
Gloria & virtus, bonitasq; quanta;
Ardui ostendit satis edocetq;
Machina mundi.

Fixus astrorumq; vagusq; cœli
Comprobat motus, rapidiq; fluctus
AEquoris testantur idem, globosa
Formaq; terræ.
Quin suis noctes vicibus diesq;,
Hæc palàm euincunt opera esse summi
Numinis, cœco minimèq; volui
Talia casu.
Non quidem dant ore sonos, profundunt
Verba nec nostro meditata more;
Sed tamen pro lege suâ latenter
Omnia pandunt:
Cuncta quæ gens audiat atq; nôrit,
Vltimis in finibus orbis ampli,
Barbara vt viuat, neq; terra passim
Nesciat vlla.
Aureo construxit & ille soli
Regiam in cœli sinubus, domumq;
Fecit excelsam rutilo inter astra
Lumine clara.
Qui velut sponsus thalamis decorus
Prodiens exultat, iter citato
Conficit cursu suum; quadrigis,
Fortis vt heros,
Præmia ad victricia palmæ (honores
Nempè) contendit; rapidoq; motu
Nunc ab Eòò aureus orbe surgens
Permeat alta
Sydera; at nunc vertice prono opacam
Occidens aspectat humum, reuersus

Fine

Fine ab extremo repetitq; meta
Signa prioris.
Qui licet cœli teneat remotas
Orbitas ſummi, tamen ima terræ
Afficit, viuo recreans foueńsq;
Cuncta calore.
Quam tulit legem Dominus, nefandæ
Labis eſt expers, numeris ſuisq;
Omnibus perfecta, vigorem & agris
Mentibus adfert.
Integrâ conſtantq; fide IEHOVAE
Scita, quæ dictis rudes diſertis
Inſtruunt reddunt animos honeſtis
Moribus aptos.
AEquitas rectumq; probant IEHOVAE
Iuſſa; quæ mulcent animos piorum
Suaue, ſeruantûmq; oculos ſerenant
Lumine amico.
Candidus caſtusq; timor IEHOVAE eſt,
Temporis quem nulla domat vetuſtas;
Permanens ſed ſecula ſolus ille
Omnia vincit.
Iura dat verax homini IEHOVAH
Vera, ſeruariq; ea ſic ſeuerè
Præcipit, neglectus vt indè apex ne
Tranſeat vnus.
Cara quin auro magis, imò puro
Sunt magis cara, ignibus & recocto
Auro; apum ſuprà ſapor it, nectar
Sacraq; lĩba.

Queis

Quels tuus ponens studium colendis
Seruulus, discit ratione vitam
Qua piè informet, referatq; tandem
Præmia culti
Officij, (merces etenim manebit
Larga cultori pietatis; ipsa
Quippè cultori numerosa semper
Dona rependit.)
Quis tamen lapsus celeres ad vnguem
Præcauet sanctus? precor expiato,
Mi Deus, noxâ miserum latente
Pectore in imo.
Quin & à fastu famulum superbo
Retrahas, ne regna sibi sequacis
Vendicet cordis, stimuletq; pronum ad
Ausa nefanda.
Tunc ero nœuis sine & omnis expers
Criminis, tunc labe piabor omni,
Tunc procùl culpisq; manebo magnis
Prorsùs & insons.
Fac probes linguæ pia dicta, mentis
Et meæ pridem meditata mecum;
Ante quæ iam fundo tuumq; vultum
Vota secundes.
Hæc tibi sint grata precor IEHOVAH;
Robur es magnum mihi qui salutis
Et meæ firmum columen, meusq; es
Ipse redemptor.

Exaudiat te Dominus.

CVm furit gens barbara ferro & igni,
Liber obfirmes animum timore,
Et preces & vota frequens ab imo
Pectore funde.
Audiet certè Dominus precantem
Te bonus, quondam veluti Iacobum
Audijt, rebus dubijs, leuantem ad
Syderã puras
Supplici cum voce manus; ab alto
AEthere orantis precibus benignè
Annuens, te protegat, & cruento
Liberet hoste.
Mittat è sacris adytis salutem,
Hanc tibi donetq; fauens misello
Supplici, te viribus & Zionis
Firmet ab arce.
Illius mentem subeat paternam,
Feceris quòd plurima sacra, flammis
Pinguibus depasta holocausta semper
Grata putentur.
Ille quòd tecum tacitá petisti
Mente det, cœptis faueat tuisq;
Omnibus, fausté tibi cuncta cuius
Nutu cedent.
Te pijs ad celsa feremus astra
Laudibus; nostra quia tu salutis
Autor es; ritu patrioq; ouantes
Bellica signa

Fixa ponemus, resonante plausu
Perfora & percompita cuncta lato,
In Dei cantabimus atq; nostri
Nomine sancto.

Qua suis posces precibus, IEHOVAH
Prouidus donet tibi cuncta, latus
Vt queas pòst talia voce gratâ
Dicere verba:

Iam refert mens certa mihi, IEHOVAM
Numinis vi mirificè potentem;
Cui suum tandem placuit saluti
Reddere Regem.

Scilicet de culmine vota olympi
Audiens, dextra validis, precantem,
Viribus, promptus iuuat & periclis
Expedit âspris.

Illi equis bellacibus & caballis
Curribus fidunt rapidisq;, & armis;
Sicq; contra hostes sibi pollicentur
Omnia luta.

Sed Dei nostri Dominiq; nobis
Vertitur victoria certa magno in
Nomine, vt sœuire feri Tyranni
Amplius ausint.

Quin & hi bello cecidére victi;
Nos sed erecti incolumesq; stantes
Vicimus, laudum spolia ampla iamq; ab
Hoste feremus.

Tu modò nostris precibus IEHOVAH
Admoue pronas, faciles & aures;

Te diu noctuq; iuua rogantes,
Fortis vt heros.

PSALM. XXI.

Domine in virtute tuâ.

REX, tuâ virtute potens IEHOVAH,
Bellâ confecit quia, iam triumphat
Gaudio, exultatq; tuo salute
Munere partâ.

Cunctâ quæ votis animi requirit
Sufficis, nullamq; finis repulsam
Hunc pati, quin ore pio petita
Proui dus offers.

Namq; tu prædiuite eum bonorum
Copiâ reples, decoras & auro
Illius fuluo caput atq; cingis
Torque corona.

Annuis, vitam quoq; te roganti,
Huius vsuram, tribuisq; suprà
Quàm petit, longa vt videat perennis
Tempora vitæ.

In tuâ latatur ouans salute,
Inclytus Rex, magnificaq; laude,
Cui tuo tu munere claritatis
Omnis es autor.

Perfrui dulcore tuiq; vultus
Hunc finis blandi, faciens ad omnem vt
Extet exemplar patriÿ fauoris,
Posteritatem.

Ille enim Rex collocat in IEHOVAH
Spem suam, clementia cuius vna
Sustinens seruat stabilem ac tuetur
Tempore in omni.

Hostium fundesq; potens tuorum
Agmina, infensos odijs tibiq;
Improbis victor subiges triumphans
Vindice dextrà.

Arida in furno vt vorat ignis ardens
Ligna: sic illos Dominus furore
Percitus iusto, penitùs patente ab-
sumet hiatu.

Impiæ gentisq; abolebis omnem
Excidis fructum & genitale semen.
Spem domus, radicitùs vsq; totâ
Stirpe reuelles.

Perfidi te contrà etenim nefanda
Ausa susceperè animis, inani
Spe tamen, successibus irritisq;
Consiliorum.

In fugam turpem pauido timore
Territos vertes, trucibus sagittis
Ora contortisq; petes eorum,
Præpete ictu.

Ergo iam virtute potens IEHOVAH
Surge, fac viresq; tuas vereri
Hostium discat fera turba, tandem
Armaq; ponat.

Tunc tibi Pæana sacrum canemus,
Ceu decet cœtus humiles piorum,

Gloriam laudesq; tuas sonantes
Dulcibus hymnis.

PSALM. XXII.

Deus Deus meus respice.

CVR DEVS mi, cur pater alme natum
Deseris? cùm tristia te salutem
Fata iam poscunt mea, in hoc amara
Mortis agone.
Eiulans quando tibi clamo, durâ
Aure cur me respuis, & tacendo
Tàm diu, prorsus misero salutem
Abnuis omnem?
Mi Deus clamore licet fatigem
Te die totâ, sileam nec altâ
Nocte; respondes tamen haud relicto
Sæpè vocanti.
(Heu, meas venti celeres querelas
Dissipant) sed tu tamen es manesq;
Sanctus, Israëlis resides & inter
Incola laudes.
Quippè tu maioribus ipse nostris
Spes eras quondam nec opis fefellit
Hos tua spes, quos medijs periclis
Eripuisti.
Voce te quando validâ ciebant.
Numine emersêre tuo profundis
E malis, in te puduit nec illos
Spem posuisse.

Sed quid ad tantos ego? vermis ostro
Concolor sum, non homo, vana vulgi
Fabula & risus populi, infima & ludibria plebis.

Obuia insultat mihi turba acerbè,
Ora diducit patuloq; rictu,
Signa concusso petulantiaq;
Vertice præbet.

Asperis ludibria dira verbis
Sæpius spargens, ait: en IEHOVÆ
Iste dilectus, sua nunc eidem
Fata queratur

Tristia, vt summis ducè eo periclis
Sospes euadat, pius, hunc saluti,
Quem sibi fingit, pater ille, reddens
seruet amatum.

Plectitur si insons, DEVS adsit ipse
Vltor, insontem eripiatq; letho;
Nempe cui solo sita in hoc voluptas
Est sua summa.

O pater, tu ventre meæ parentis
Editum extrâxti, mihi tu salutis
Spes eras dum matris adhuc tenellus
Vbera suxi.

Matris ex aluo genitum calente
Protinùs molli gremio tulisti,
Tu mihi à primo, DEVS, vsq; partu es
Prouidus alter.

Ergo cum duris premar hisce rebus,
Longiùs ne quæso recede: acerba

Nam mihi mors instat, adestq; nemo
Auxiliator.
Ecce me densâ veluti coronâ
Vndiq; inclusêre rudes iuuenci,
Et truces tauri nimiaq; obesi
Mole valentes,
Qui meam vasto atq; patente vitam
Appetunt oris furibundi hiatu,
Ceu ferus pradam leo felle captat
Percitus atro.
Corporis viuus vigor omnis vnda
Instar effluxit, mihi suntq; membra
Cuncta de compage reuulsa, nec iam
Amplius hærent
Ossibus: quin cor mediâ locatum
Sede (fons vitæ) fluidum liquescit
Præmetu, ceu cera fluit soluta
Solis ab æstu.
Cocilis virtus mea testa ad instar
Aruit; siccis mea lingua adhæret
Faucibus; tu me in cineresq; mortis
Ipse reponis.
Me canes cinxêre latus per omne
Efferi, obseditq; maligna passim
Turba, & has fodêre manus pedesq;
Vulnere sœuo.
Brachijs pansis mihi cuncta liuent,
Ossa, vt hæc possim numeris notare;
Turba sed spectans oculis proteruis
Impia gaudet.

Diuidit

Diuidit milesq; meos amictus,
Sortis internam tunicam fauore
Quisq; sed desiderat, expetit, con-
tendit habere.

Ne procùl discede meis IEHOVAH
A malis, præsens mihi sed ministra
Robur, & festinus opem salutis
Fer precor ægro.

Ense ab hostili rabidâ canumq;
Vi, meam defende animam, leonis
Vnicam rectuq; trucis feriq;
Rhinocerotis.

Sospes enarrabo tuum redemptis
Fratribus nomen, recinamq; in amplis
Cœtibus laudes tibi, vota iusto
More rependens:

Vos quibus cordi metus est IEHOVAE,
Laudibus efferte bonum fatentes
Debitis, hunc omne genus Iacobi
Affice honore.

Semen Israëlus colat & timore
Hunc pio, sacris celebretq; eundem
Canticis, plausu altisonoq; celsa
Tollat ad astra.

Non enim sortem miseri superbè
Spreuit, auertit faciemq; nunquam
Pauperi; at clemens querulu benignâ
Audit aure.

Laus mea in cœtu referet frequenti
Te, choros inter tibi vota sacros,

Qui tuum nomen metuunt coluntq;
Debita ſoluam.
Turba egenorum comedet vocata
Ad dapes ſacras, epulisq; opimis
Iam ſatis perfuncta pias ſonabit
Carmine laudes.
Corda quarentûm Dominum perennè
Viua gaudebunt ſine morte acerbâ;
Quam procùl vita DEVS autor illis
Ipſe fugabit.
Hûc feret greſſum populus per orbis
Terminos ſparſus, Dominiq; colla
Sub iugum mittet fera, ſeq; tradet
Huius habenis.
Supplices huîc vota ferentq; gentes
Incolant qua climata cunq; terræ.
Eſt enim Rex ac dominator vnus
Totius orbis.
Huîc & eſt regnum ſine fine durans,
Competitq; illi populos in omnes
Extimâ tellure procùl remotos
Summa poteſtas.
Qui ſuo gentes etiam ſolutas
Legibus regno adyciens, vocatis
Iura diſponet noua, iure ſolus
Cuncta gubernans.
Pabulo cœleſti animum potentes
Principes terræ procereſq; paſcent,
Poplitem flectentq; ſimul IEHOVAE, vt
Turba miſella.

Fecit impensam quia vitæ in omnes
Is suæ, nec parta negat cuiquàm
Dona profusi pretio cruoris,
Gratiâ abundans.
Colliget, seruabit & omne in æuum
Semen, vt longâ serie nepotum
Gens piè semper peragat sacrates
Postera cultus.
Et patres natis memorent IEHOVAE
Facta, pergradus referantq; famam
Nominis; scriptum tabulis futuro
Tempore vt extet.
Quin & accurrent varijs ab oris
Incolæ terræ, populoq; in auras
Edito pòst iustitiam sonabunt
Illius omnes.
Et ferent sermone pio salutis
Ipse quod perfecit opus IEHOVAH
Autor æternæ, meritò perenni
Laude canendus.
Namq; laus huius meritis perennis
Sola debetur, ratio salutis
Vnde dependet solida & beatæ
Gloria vitæ.

PSALM. XXIII.

Dominus regit me.

ME regit, curat Dominus foueto
Sic, ouis custos teneris vt agnis

Consulit ducendo, ferendo, lata
Pabula dando.
Ergò iam deèrit mihi nulla rerum
Copia, ad vitæ fugientis vsum,
Nil erit votis cupidis egens quod
Ampliùs optem.
Ille me pastum nemoris per aruæ
Floridi ducit, latus hic in herbâ
Se explicet fessum vt recreentq; molli
Languida membra.
AEstibus Solis medijs fluenta
Collocat me limpida propter, ægræ
Reddit & vires animæ, & suaui
Hanc fouet aurâ.
E viâ errantem dubiâ retraxit
In viam me iustitiæ, & reduxit
Ad sui caulas gregis, hinc vt ipsi
Gloria crescat.
Ergo si valles gradiens opacas
Peruager, pallens vbi semper horror
Excubat; fergam tamen haud periclis
Territus vllis.
Namq; tu fidus mihi dux comesq;
Iunctus es, cassus dubios ad omnes;
Tu tuâ virgâ regis & bacillo
Fulcis euntem.
Tu mihi mensam variis refertam
Ferculis, hosti ante oculos adornas
Inuido, vt tanto graue sit potitum
Cernere honore.

Hoc caput perfundis odore grato
Balsami spirantis, & ebibenda
Cum mero dulci mihi tu repleta
Pocula prabes.

Hac fruar dum luce fides sequetur
Me tua & clementia semper, adis
Fata sed post vltima ero perennis
Incola Iouæ.

PSALM. XXIV.
Domini est terra.

TOtius moles operosa terræ,
Et quod hac vel parca tegit, vel alma
Explicat, sub iure manet IEHOVAE
Imperioq.

Seu cauos montes aliquis, feraces
Seu colat campos, habitetue in vrbe
Legibus sacrâ, bonitate degit
Eius vbiq.

Nam super terræ solida arua vastum
Ipse fundauit mare, vt inter vndas
Mobiles immota forent, vadosos
Subter & amnes.

Annè homo se tollere humo lutosâ
Possit, & montem Domino dicatum
Scandere, in cœliq; sacrâ morari
Sede beatus?

Huic data est vis tanta cui omnis expers
Labis est mens, sorde manus carentes,

Vana qui nec secum animo volutat
Dogmata prauo:
Fraude qui semotus ab omni & arte
Subdolâ, nulli dederit dolenda
Damna periurus, coluit nec vnquàm
Numina ficta,
Huîc bonus largâ tribuet IEHOVAH
Dextrâ opes amplas, & erit salutis
Huîc Deus causaq; patronus, idem
Arbiter æquus.
Hoc genus fidum est hominum, requirit
Quod pium numen, cupidum videndi
Est tuiq; ô magne Iacobe, clara
Lumina vultus.
Iam fores portasq; aperite mundi
Principes ô, iam reserate & arcte
Intret vt Rex summus & vnus omni
Dignus honore.
Quæso quis Rex inclytus iste, tantum
Cui decus, cuî gloria tanta soli
Competit? fortis Dominus potensq; est
Prælia obire.
Ergo vos plebis proceres & orbis,
Iam fores portasq; aperite vestras,
Altiusq; attollite limina, & re-
uellite claustra.
Cœlitum Rex maximus, omni honore &
Gloriâ clarus, celebrisq; laude,
Adferens secum bona cuncta, vt intret
Hospes amicus.

Sed quis est Rex iste? patris supremi
Natus est, Rex bellipotens maniplis
Cœlitum stipatus, & vnus omni
Auctus honore.

PSALM. XXV.

Ad te Domine leuaui animam.

AD tuam suspirat opem, IEHOVAH,
Mens mea in rebus quibus ægra tanto
Angitur iam tempore te misellà
Cogitat vnum.

Blanda me spes erigit, ô DEVS mi,
A tuâ tantùm bonitate pendens,
Vnicâ hac nixum prohibe pudore
Abscedi ab vllo.

Rideat ne turba meis, maligna
Casibus. Gens fisa tibi pudore
Libera est tristi; reprobi premantur
Quo simùl omnes.

Dexter ostendas iter ô IEHOVAH
Has per errorum tenebras eunti,
Semitas me perge tuas docere,
Ne amplius errem.

Hanc viam me quæso doce, regressus
Ad tuam quâ sit mihi veritatem:
Vera te vita ratio docetur
Namq; magistro.

Te Deum tantùm statuo, salutis
Vnde spes pendet mihi tota, noctes

Ac dies expecto tuam fidemq;
Auxiliumq;.
Sis memor quæso solitæ, IEHOVAH
Gratiæ, clementiæ vincat iram,
Quæ quidem æterno fuit, est eritq;
Tempore constans.
Heu tibi peccata mea inuentæ
Nota detestor, memor illa cures
Ne rogans, sis propitius suetæ
Pro bonitate.
(Dum loquor, mens anxia, læta rursus
Concipit solatia, & ipsa crescit
Hinc fides, sumitq; nouas subindè
Languida vires.)
Totus est clemens etenim IEHOVAH &
Rectus, erroresq; suos dolentes
Erudit, rectam inq; viam bonus re-
ducere gaudet.
Ipse & afflictos humilesq; corde
Dirigens, discrimina iniqui & æqui
Edocet, monstratq; viam his ad astra
Celsa ferentem.
Candidus, verax, bonus est IEHOVAH,
In vijs rectusq; suis, benignus
His pio qui pacta sacrata corde
Ritè tuentur.
Laus tui se nominis vt per omnes
Angulos orbis celebrata fundat,
Fac meis clemens veniam nefandis
Annue culpis.

Mente qui purâ Dominum vereri
Gaudet, huîc normam dabit ille vitæ
Optimam, & vitæ simùl actiones
Diriget omnes.

Nil huic deêrit penitùs beato
Copiâ rerum, serieq; longâ
Huius hæredes patriam tenebunt
Ordine terr am.

Sint licet mysteria dIa nulli
Nota; habent hæc nota Deum timentes,
Nempè quos tantùm docet ille scire
Fœdera sacra.

Mente constanter Dominum requiro,
Lumina in quem fixa habeo, reuellat
Dam pedes hos cassibus è dolosis
Hostis iniqui.

Pressus, ehеu, pauper, inops & æger
Sum nimis, desertus amico ab omni:
Ergo tu me commiserans benigno
Respice vultu.

Sit datum vt sat supplicij; subindè
Cura cor angit noua, quæso tandem
Ah pater discriminibus misellum
Eripe tantis.

Respice ô quantos patiar dolores,
Mole quàm grandi, premar laborum,
Fac bonus delicta mihi benignè
Cunctа remitte.

Rursùs at conuerte tuum furorem
In meos hostes numero frequenti

Viribusq; auctos, odijs iniquis
Meq; petentes.
Supplicis custodi animam, periclis
Eruens presentibus, & minanti
Eximens fato; sine me pudore
Obsecro, nullo
Affici: nam spes ea sola totum
Me fouet, soli tibi quâ salutis
Omnis autori placidè quiescens
Fidere noui.
Tu face vt me conscia causa recti
Seruet integrum, sine fraude veri
Simplicis candorq;, tui colentem
Teq; morantem.
Planè ab instanti Deus ô ruinâ
Vindices sanctum genus Israëlis,
Liberum cunctisq; malis perenne
Sospita in æuum.

PSALM. XXVI.
Iudica me Domine.

SIs mea causæ, DEVS ô, patronus
Ipse, & in ius immeritò vocatum
Assere, insontemq; palàm tuere
Maximè vindex.
In DEO fiducia mi resedit
Firma, quo tutore nihil timebo
Crimen obiectum mihi falsò, at inde-
iectus abibo.

Fusile ardenti probat vt camino
Arrifex aurum, intima sic IEHOVAH
Cordis explores simul & meorum
Viscera renum.
His bonum te gesto oculis, & intra
Orbitam legum maneo tuarum,
Ad tua normam mea veritatis
Congrua vita est.
Non moror consortia praua cœtus
Impij, nec me sibi vana speret
Lingua consortem, procul hinc dolosæ
Turba facessat.
Namq; conuentus hominum improborum
Odi, & auersor stygio veneno
Peius, assessor nec ero remotis
à pietate.
Abluens mentemq; manusq; puris
Fontibus vitæ innocuæ atq; iustæ
Causæ, adibo aras tibi consecratas,
Thuris honores.
Ac dabo gratos; fidibus sonoris
Hic vbi in cœtu resonat piorum
Laus tua, admiranda tuæq; dextræ
Facta canuntur.
AEdis & fani grauiter, IEHOVAH,
Me tenet sacri pius ardor, hymnis
Quod tui argumenta sonans reseruat
Semper honoris.
Huic precor parcas animæ, impiorum
Dum rapis fecem, sine nec cruentos

Barbaros inter mihi dira fata abrumpere vitam:
Cogitant qui mente scelus dolosâ
In bonos rectosq; viros, auaris
Pauperum in mulctam manibusq; iniqua
Munera captant.
Ast ego incedens perago probatis
Moribus vitam, faciog; tantùm
Quæ mei sunt officij tibiq;
Cætera mando.
Exsulem me quæso misertus ergo
Assere, & de gente potens IEHOVAH
Barbarâ pressum redime, ac tuere
Numine amico.
Pes meus rectâ ingredietur, aquis
Passibus semper; mihi cuncta cedant
Vt benè & feliciter in recepto
Munere vitæ.
Redditus per te patriæ, decet ceu
Agmine in sacro tibi vota soluam,
Te meæ autorem; canam salutis
Laude perenni.

PSALM. XXVII.

Dominus illuminatio mea.

Vx, salus & vita mihi IEHOVAH est;
Ergo terrorem iniciat né tristem,
Hoc mihi præsente, ferocientium
Turba virorum?

Imò munimen mihi vita IOVAH est,
Et mea firmum columen salutis:
Ergo nec fraudem metuo dolosam,
Vim nec apertam.

Me licet contrà fera gens & atrox
Hostis insurgat, cupidè hancq; carnem
Expetat, crudamq; auidâ velit de-
Fauce vorare:

Corruent omnes tamen, ac dolosa
Incident in retia quæ parârant
Iam meo pridem exitio maligni
Fraude nefandâ.

Pralijs infesta mihi proteruis
Gens licet iam sœuiat, inq; inermem
Miles armatus coëat furenter,
Agmine denso:

Prorsùs inuictùm tamen ibit omnis
Impetus; cor acre nihil pauebit;
Cuncta sed fiduciâ opis IEHOVAE
Aspera vincet.

Omnibus votis Dominum vel vnum
Illud exposco, repetens subindè
Hoc; sacri vitam vt maneam per omnem
Incola templi.

Conspicerq; aras nitido micantes
Auro, & ornatum reliquum. DEOq;
Personem laudes, obiens decenter
Munia iussa.

Turbido nam tempore iam receptum
In sui me proteget vmbrâ amicus

Ipse tentor I. simùl inq; celsâ
Rupe reponet.
Quin procùl sœuis positi periclis
Efferet suprà caput idem & hostes
Impios, insignia deinde regni
Qui mihi cedent.
Tunc ego sospes spacioſa Iouæ
Atria ingressus, dabo grata laudum
Munera, ac eius fidibus canoris
Prosequar acta.
Ergo te supplex quoties vocabo
Efficax adsis Domine ô misertus,
Da fauens aurem precibus, meisq;
Consule rebus.
Mens mea inducit mihi te ferentem
Tempore hac quodam pia iussa: vultus
O meos exquirite, vos acerba
Tot mala passi.
Quare ego quærens tua sector ora
Candida in densis tenebris, anhelat
Queîs tui mens anxia blandi amica
Lumina vultus.
Ne precor vultu miserum paterno
Arceas, seruum fidei tuæ né
Deditum forsàn calidâ repellas
Percitus irâ.
Sæpè labentes ope subleuasti
Res meas, me fluctibus his malorum
Ne DEVS linquas, mihi qui salutis
Vnus es autor.

Me licet quandoq; parens vterq;
Liquerat, matris mihi eratq; inane
Et patris nomen, nec erat relicto
Vllus amicus:
Non tamen liquit Dominus miſellum
Orphanum, excepit miſerans benignè
Me ſed, & fouit genitricis inſtar
Et genitoris.
Fac viam me Dux doceas IEHOVAH
O tuam, recto mihi des & ire
Tramite, vt vitem inſidias nocentum &
Arma potentum.
Ne poteſtati ſine me meorum
Hoſtium, nec arbitrijs ſceleſtis
Obſecro tradi: quia falſa teſtes
Crimina fingunt.
Perfidi de me, ratione nullâ
Iuris aut æqui, mihi non merenti
Inferunt arma atq; petunt inermem,
Abſq; pudore.
Nec malis cedam tamen hiſce tantis;
Sed manens audentior ibo contrà
In fide conſtans: quia viuus inter
Commoda viuos
Cuncta ſum viſurus in hiſce terris
Non modò, at celsâ quoq; ſede olympi;
Quâ piæ degunt animæ fruentes
Luce beatâ.
Mens quid ô ergo mea triſtis eſſe
Cergis? abſiſtas lachrymis, veueri

Deſinas,

Desinas, invicta malis, pericla,
Vt fremat hostis.
Fortiter persta, gere rem virili
More, spe pende à Domino, pijq;
Numinis confide benignitate,
Atq; morare:
Certa opis certa, patiens & ora
In cruce, oranti tibi robur acre
Addet, euentumq; dabit secundum
Ipse IEHOVAH.
Imò qua speres minimè vel horâ,
Vt solet, promptus veniet, tibi
Anxio, optatis potiora multò
Conferet almus.

PSALM. XXVIII.

Ad te Domine clamabo.

VOce ego supplex quoties, IEHOVAH,
Ad tuam me confero opem, tuumq;
Numen imploro, mihi quòd saluti
Præsidioq; est:
Ne tacens me despice, neu repelle
Durus auersâ facie paternâ;
His miser fiam similis ne, ad atram
Qui stygа tendunt.
Supplicis fletus gemitusq; mitis
Audi, & erectas miserate palmas
Iam tibi ad delubra sacri remota,
Respice, templi.

Ne precor me iunge pijs carentûm
Moribus turbæ nec & improborum,
Proximo qui blanda loquuntur ore,
Pectore fraudant.

Digna des vltor meritis eorum,
Sint vices iustæ studijs nefarIs,
Sint labor mercesq; pares, & aqua
Præmia factis.

Non enim aduertunt animis IEHOVAE
Gesta præclarè manuum, supremi
Vis quibus testata satis probatur
Numinis ampla.

Ergo delebit genus hoc, & auo
Funditùs tollet memori, nec vnquàm
Semen excisum semel impiorum
Restituetur.

Ast ego grates soluam IEHOVAE
Intimo de pectore; quòd benignus
Supplicis pronam facilemq; voci
Præbuit aurem.

Robur & scutum clypeusq; IOVAH
Est mihi, cui mens mea fidit vni
AEgra, & in rebus miseris salutem
Quem rogat vnum:

Hinc ouans gestit mihi cor beato
Gaudio plenum, melicoq; cantu
Illius laudes resonat, celebri
Carmine dignas.

Quos DEVS curat patrio fauore
Hos simùl virtute potens & ornat.

Eripit Regemq; suum periclis,
Restituitq;
Exsulem regno, decus omne honoris
Pristini rursùs tribuitq; eidem,
Spes cuî in causâ fuit, haud in armis
Maxima palma.
Prouidus seruat populum IEHOVAH
O tuum, partemq; tui peculi
Optimam, fidi patris & patroni
More tuêre.
Affice haud fluxis opibus, sed exple
Gentis Ebræa sobolem perennis
Fructibus vitæ, bonus hancq; pastor
Ipse guberna.

PSALM. XXIX.

Adferte Domino filij fortium.

PRincipes ô acre genus virorum,
Summa quos rerum penes est potestas;
Ad Deum sed qui nihil estis, omne
Cedite laudis
Huic decus, præconia magna laudum
Ferte huic, adscribite eiq; famam
Nominis, proni celebres ei sub-
mittite cultus.
Pulchro in ornatu penitusq; sancto,
Pangite ô laudes populi IEHOVAE,
Supplices offerte pias precesq;
Poplite flexo.

Vox Dei pertranſit aquas, IEHOVAH
Gloriâ Rex inclytus intonatq́
Concitans turbata maris ſonori
AEquora ventis.
Vox Dei virtute potens, honore
Gentibus iam conſpicuoq́ fulgens,
Orbe terrarum ſonat vniuerſo
Omnia replens.
Vox Dei cedros quatiens ſuperbas
Frangit excelſas Libani cupreſſos
Sæpiùs confringit humiq́ ſternit
Ipſe IEHOVAH.
Et facit, lati vt ſaliant iuuenci
More, per campos Libani, aut fragoſi
Hermonis ſyluas, petulantis inſtar
Rhinocerotis.
Vox Dei nubes feriens, vt ignis
Cœdit, & flammas iacit, ac eremos
Concutit, deſerta Cadesq́ ſæuo
Turbine quaſſat.
Vox Dei ceruas tonitru coruſco
Territat, fœtus grauidis vt ante
Excidant tempus, pereantq́ nullo
Robore firmi,
Vox Dei ramisq́ comisq́ ſyluas
Floridas nudat, penetrans receſſus
Abditos queiscunq́ locis opacis
Fulmine acute.
Hinc pius cœtus melicis ſonabit
Canticis laudes Domini, in ſacrato

Illius templo, ac ibi quoq; vota
Debita reddet.
Hic DEVS semper residens vt heros
Sceptriger, delere homines rebelles
Cùm libet iam diluuium perundans
Præparat orbi.
Summus est Rex ipse DEVS, manetq;
Rex in æternum, sibi cuncta subdens,
Et regens quæ machina vasta mundi
Ambit vbiq;.
Hic suo vires populo fideli
Suggeret veramq; dabit salutem;
Hic sibi electam placidaq; gentem
Pace beabit.

PSALM. XXX.

Exaltabo te Domine.

EFferam te laudibus alme IOVAH
Ceu decet, sanctis, mea te suauè
Blanda mulcebit lyra, te canora
Plectra sonabunt.
Infimo me namq; gradu tulisti
Ipse, & euexisti humilem, imminente
Morte & ereptum incolumem locásti in
Sedibus altis.
Ne meis, iam tot mala dura passus,
Hostibus lætus fierem cachinnus;
Id tui tantùm fateor, IEHOVAH,
Muneris esse.

Mi DEVS tu supplice te roganti
Voce, dans aurem facilem misello,
Te vigor membris medico fideli est
Redditus agris.

Cœperat merens anima hac ad imas
Ire iam terras resoluta vinclis
Corporis cari, gelidoq; pœnè
Mersa sepulchro:

Tu sed ex lethi tenebris profundis
Ipse eam clarum reuocasti in aura
Lumen aprica, stygiâ repentè
Morte repressâ.

Viribus, per te, Domine ô, receptis,
Perfruar vitâ penitùs redemptus
Morte, dum diri impia turba adorti
Limina tendit.

Munera ô expertæ cohors IEHOVAE
Larga, huic mecum resonante plectro
Psallite, & quas mens capiet benigno
Reddite grates.

Optimumq; hunc dicite maximumq;
Vos quibus cura est pietas, sacrorum
Cultuum rituſq; placent decentes,
Sed sine fuco.

Huic breui vix temporis ira durat
Horulâ, euanescit ad instar auræ
Fumida, & bullæ citò colliquescit
More fugacis.

Sed DEI clementia totum in æuum
Permanet; qui gaudet & ipse vitâ.

Et ſuos ornat vacua periclis
Munere vita.
Heſperus ſi forſitàn ora ſerus
Irrigat mœſtis lachrymis, Eóus
Aureâ cum luce feret viciſſim
Gáudia læta.
Dum bonis felix fruerer beata
Pacis, hæc mecum taciùs loquebar:
Nulla me ſortis dubia procella
Obruet vnquàm.
Sceptra enim regni mihi montis inſtar
Saxei, per te ſtabilita rebar;
Inſolens vanosq; alui ſuperbos
Pectore faſtus.
Tu ſed vt vultum patrium retrâxti,
Cuncta contriuit mihi dirus horror
Membra, & eſt menti vigor omnis alta
Prorsùs ademptus.
Ergò te rursùs pater oro ſupplex,
Fletibus lenire ſtudens amaris
Numen offenſum, cupidisq; pacem
Poſcere votis.
Nùm mei quis ſanguinis vſus vltrà
Dic, erit quæſo, fuero rapaci
Morte cùm ſublatus, & in ſilente
Conditus vrna?
Nùm tua puluis fidei celebret
Vim? queat nùm lingua tui ſepulta
Nominis laudes memori canendo
Voce ſonare?

Percipe hos pronâ gemitus IEHOVAH,
Aure, placatus mihi, pelle morbum
Hoc meo de corpore pestilentem
Lethiferumq;.

Ah es adiutor misero benignus,
Consil1 cui nil supereſt nihilq;
Auxil1, res poscit opem suprema
Sorte laborans.

Te penes solum auxilium est IEHOVAH,
Te penesq; est consilium; patronus
Ergo ades fidus, fer opem salutis
Quam potè promptus.

Sic ego orabam; quarulaq; voce
Tu pater motus, lachrymis miselli
Supplicis risus hilares rependis;
Inq; choreas

Tu meos planctus alacres acerbos
Vertis, & plausus animo canoros
Inijcis trisli, & noua pro dolore
Gaudia reddis.

Exuens squalore mihi madentes
Ipsus & saccos, latus hoccé cingis
Veste, dulci lætitiâ nitente
Atq; decorâ.

Hinc mea te vis anima decusq;
Omne, ceu per est, celebrabit vnum;
Nesciens cessare tibiq; dicet
Magne IEHOVAH

Mi DEVS, sacras mea lingua laudes:
Et tibi acceptam referet salutem

Mens mea; & te nocte canet dieq;
Omne per auum.

PSALM. XXXI.

In te Domine speraui.

MAxime ô rerum genitor IEHOVAH
Continet quas machina vasta mundi,
Fabricam seu spectio poli soliq;,
Seu maris alti.
Omnis in solo mihi te recumbit
Spes, tui me robore queso fisum
Numinis, permitte pudor molestus
Ne premat vnquàm.
Hostium me fraudibus ipse vindex
Libera, è summis miserum periclis
Eripe, & pro iustitiæ tuêre
Munere pressum.
Supplici præbe facilem benignus
Aurem, & adiutor mihi promptus esto,
Rebus aduersis mea firma rupes,
Arxq; salutiq;.
Namq; te rupem statuo mearum
Inuiam rerum, mihi & arcis ipse
Instar es fossis validæ profundis,
Turribus altis.
Vt tui sit nominis ergo fama
Barbaræ genti pauido timori,
Prauius me tu rege dux euntem
Semitâ in æqua.

Expedi

Expedi harentem laqueo tenaci
Retis hic furtim positi, & resolue
Membra constricta atq; tuo pusillum
Robore firma.

Hanc tibi commendo animam IEHOVAH
In tuas depono manusq; tristem.
Quæso commissam fidei paternæ
Ipse tuêre.

Tu tenax pacti meus es redemptor
O DEVS, tu morte ferâ leuabis
Me, tibi ceu firma fides recepto
Semper in omni est.

Prosequor fatali odio docentes
Falsa, qui vel somnia vana captant
Atq; sectantur, tua queis sacrata
Scita profanant.

Sed mihi spes vna manet IEHOVAH
Præsidi, & firmum columen salutis,
Et mea fiducia opis, caduca &
Anchora vitæ.

Latus exulto medios dolores
Inter angoresq;; quòd hos sereno
Respicis vultu, ac animæ misertus
Consulis ægræ.

Insolens cùm me premeret tyrannis
Hostis infensi atq; crepantis arma
Horrida, extremis miserum periclis
Eripuisti.

Fortis extrâxti manibus cruentis
Illius vinctum; hosq; pedes solutos

Nexibus duris spacioſa & aqua
Per loca ducis.
Imminet iam lucta mihi IEHOVAH,
Ceu vides, ingens; miſeratus adſis
Ergò feſtinè, meus eſto fidus
Atq; patronus.
En mea eſt luctu facies edaci
Tabida, ac eſt languida mentis agra
Vis, ſtupent artus, mihi cura ventrem
Anxia pungit.
Vita defecit mea præ dolore
Flebili, fluxêre gemendo & anni,
Concidens virtusq; receſſit omnis,
Imò caduci
Corporis fulcra oſſa meis fatiſcunt,
Grandibus culpis, faciunt miſellum
Qua reum, tantis ſubiguntq; pœnis
Attenuantq;.
Aſpera heu caſibus vsq; duris
Me premit ſors tàm grauiter, perîſſe
Vt miſer planè videar maliſq;
Succubuiſſe.
Namq; verborum modò non malignus
Hoſtis in me probra iacit nefanda;
Luſus at ſum finitimis procax, &
Horror amicis.
Cæteri vitare metu pericli
Me, foris ſi conſpiciar, videntur,
Obuium nemoq; ſibi ſalute im-
perit amicâ.

Quin & effluxit mea fama eorum
Mentibus, queîs notus eram, virorum;
Euenit quandoq; quod huius aurę
Munere cassis.

Excidi abiectus pereuntis ollę
Instar, ac testę fragilis, nec vllis
Vtilis rebus, velut vmbra inanis
Repputor eger.

Aspernis me plurima turba dictis
Prægrauat, comitia dira miscens;
Vt procùl me quosq; abigat, mea & commercia vitet.

Mobile in cœtum veniens potentum
Vulgus, adiungit sua cœde latis
De meâ suffragia, me cupitq;
Morte peremptum.

Inter hos motus mea sed IEHOVAH
Spes manet, sententia statq; menti
Hæc: licet cernar variis periclis
Vndiq; septus;

Non tamen spem proïciam, resedit
In tuo quæ numine mî benigno,
Mi DEVS: soli tibi namq; posse
Fidere tutum est.

Tu meæ vitæ trahis ipse filą,
In tuo tu nostra tenesq; iure
Fata, tu nostrosq; dies manu conscriptą notâsti.

Hostium me libera ab inuidentum
Vltor, infandis odijs, manuq;

Eripe

Eripe armatâ miserum ac inermem,
Vindice dextrâ.
Exhibens vultum famulo serenum
Mî tuo, des signa fauoris, atq;
Vt soles, mitis fer opem petenti,
Rebus in arctis.
Quaeso frustretur mea ne IEHOVAH
Spes, tuam qui imploro fidem, pudori
Neu sit appello tua quòd misellus
Numina sancta.
Impij sed sollicito pudore
Obruti, in mutis lateant sepulchris,
Desinant mendacia tandem vt inter
Regna silentûm.
Labra frustretur patula atq; ficti
Vox tenax, & probra viris suëta
Non malis inferre, humiles superbo
Spernere fastu.
O modis planè innumeris abundans
Copia, è rebus varijs tibi con-
gesta, quas seruas bonus & bonorum
Condis in vsus.
Qui piâ te mente colunt timentq;,
Numini ostendunt ita se tuoq;
Fidere, vt testetur id orbis atq;
Terrigenûm grex.
In tui tutos latebris latêre
Hos iubes vultus, procùl & remotos
A minis tu protegis hos, potentûm
Atq; furore.

Hos tui condis tugurI sub vmbrâ,
Sic vt illorum caueas saluti:
Nec procax illis noceat latente
Lingua veneno.

Laus honorq́, & gloria, sit IEHOVAE,
Præstitit quòd mira mihi benignus
Dona, me saluum exhibuitq́ cinctæ
Mœnibus vrbi.

Anxijs curis miser, æger, excors,
Præ pauore inquam: (fateor quod ipse)
Heu tuis nunc ex oculis abacto
Spes perit omnis.

Sed tamen suspiria tu gementis
Votaq́ audisti placidus fauensq́;
Vt mei sic te memorem probares
Sorte in acerbâ.

Gens pia ô ergo Dominum patremq́
Candido de pectore amate fisos
Qui sibi seruat, veluti superbos
Opprimit omnes.

Dexterà vltrice, & sua cuiq́ reddit
Præmia, vt factis meruêre digna,
Ponderans æquâ benè perperamq́,
Lance patrata.

O bonis estote animis, silentes
Spe bonâ durate, fide IEHOVAM
Prehendite inuictâ, huius opem petentes
Atq́ morantes.

Nititur quæ spes Domino perennè
Consistat, humanis citò sed labascit

Nixa spes rebus, quibus efficax vis
Nulla relicta est.

PSALM. XXXII.

Pœnitentialium secundus.

Beati quorum remissæ iniquitates.

O Modis ille innumeris beatus,
Cui DEVS labem facilis remisit
Noxiam, cuiusq; latent operta
Crimina fœda.
O homo felix nimiùm, IEHOVAH
Cui scelus non imputat omne, turpis
Abditum in cuius nihil hæret imo
Pectore fraudis.
Ore dum proferre palàm verebar
Crimina, & morbum tacito fouebam
Sub sinu occultum, mihi cuncta conse-
nescere sensi
Ossa, præ questu assiduo: premebat
Nam gravis vis me, eheu, tua dextra, cœcis
Noctibus clarisq; diebus, imò &
Omnibus horis.
Ardor vt solis sata sicca adurit
Incoquens: sic humor alensq; corpus
Deficit mi: sic macieq; mœror
Pascitur artus.
Quare ego delicta patrata apertam
Profero in lucem, fateorq; coram

Te; nec occultis latebris nefandos
Condo reatus.

Mente sic mecum meditabar altâ:
Iam meas culpas retegam IEHOVAE,
Intimi nudabo simulq; tetra
Vulnera cordis.

Sic mihi affecto, scelerúm malignas
Abluens sordes, meritas remittis
Ipse tot pœnas misero paternâ
Gratiâ egenti.

Hoc meo exemplo moniti colentes
Mente te purâ, veniam requirent
Supplices, apto precibus pijsq;
Tempore votis.

Obruat pontus licet asper orbem,
Sors ferat passim varios & æstus
Cæca; non tangunt tamen hos pericla
Qui tibi fidunt.

Tu mihi es tutela meumq; scutum,
Quo tegor seruorq;, meus patronus
Fidus es, cùm res animum premens aduersa fatigat.

Anxiâ me redde, precor, solutum
Curâ, & immunem dubijs periclis;
Liber vt gratus tibi dein de læto
Pectore psallam.

Sic tibi dum clamo, bonus refers hæc
Verba tu mi plena fauore: vitæ
Te viam, quâ progrediare, certam
Ritè docebo.

Te regam ducamq; oculis amicis,
Forsàn errantes retrahamq; gressus
Post modò vt securus eas, nec vltrà in
Deuia aberres.
Este non mulis similes equisue,
His quibus mentis nihil est tributum:
Bruta sed quòd sint, ratione sanâ
Destituuntur.
Queis solent constringier ora frenis
Dura, & obduci rigidis lupatis;
Vt ferant sic seruitium, nec vltrò
Iussa recusent.
Heu, virum auersum pietate plagæ
Quot manent; sed fidere qui IEHOVAE
Nórit, hunc cinget bonitas ab omni
Parte beatum.
Gaudio indulgete pij, tenaces
Simplicis recti, Dominum canentes
Dulcibus psalmis, simul & sonoros
Edite plausus.

PSALM. XXXIII.

Exultate iusti in Domino.

O Pij, iuris quibus est & æqui
Ardor, exultate animis, sonantes
Ceu decet sanctos pariter IEHOVAE
Nobile carmen.
Iam chelys dulci Dominum susurro
Mulceat, suauis citharæq; acuta

Vox ei gratet referat, canora
Nablia laudes.
Tinnula impulsis Decachorda neruis
Huîc nouos cantus modulentur, atq;
Blanda ei psallat Lyra, perstrepensq;
Buccina clangat.
Nil DEVS profert nisi vera ab ore
Fraudis experte, imò tenace seruat
Is fide promissa, probatq; factis
Edita verbis.
Ius amat iustumq; fouet, sed odit
Omne quod planè est alienum ab illis;
Terra, quod degitq; in eâ, IEHOVAE
Munere plenum est.
Condidit VERBO DOMINVS potente,
Regiam cœli aligeramq; turmam,
SPIRITVq; oris valido corusca
Sidera fecit.
Is maris vasti rapidas & vndas
Congerens cogit velut vtrem in vnum:
Abditis cellis & aquas profundi
Condit abyssi.
Finibus cunctis metuant IEHOVAM
Incolæ terræ sub vtroq; mundi
Axe degentes, trepidentq; eundem
AEquora sœua.
Hoc enim dicente, quod est fuitq;
Ac erit, subsistît, & omne præsens
Constat hoc mandante, sequuntur vltrò
Factaq; iussum.

Consili quicquid capiunt profana
Mentibus gentes stolidis IEHOVAH
Dissipat, molimina laua donans
Irrita ventis.
Permanet sed consilium IEHOVAE
Omnibus seclis, animoq; surgens
Illius sententia prorsús vllo im-
mobilis auo est.
Sorte gens ô multiplici beata,
Cui Deum se propitium IEHOVAH
Exhibet, quam more sibi peculi e-
legit & idem.
Sedibus de prospiciens IEHOVAH
AEtheris, lustrat loca subter alta
Sydera, humano cupidus videndi
Sanguine cretos.
Arduo spectans solio labores
Is videt curasq; solum colentûm:
Hisq; cor flectit, regit & vel vno
Pectora nutu.
Prouidus quacunq; gerunt & idem
Nouit, & cœcos animi recessus
Perspicit, reddens meritis cuiq;
Præmia digna.
Copijs instructa licet potestas
Maximis sit; non tamen vlla Regem
Seruat, haud prosunt tumido Giganti
Robur & arma.
Nil iuuat fortem, sonipes caballus
Militem, frustrà sed in huius árte &

Viribus ponit validis superbus
Ille salutem.
En, sui seruat Dominus colentes,
Et fouet cernens oculis benignis
Is, suâ tantum bonitate fretos,
Rebus in arctis.
Eripit diris animas eorum
Faucibus mortis, finit hosce crudâ
In famis nec desicere aut egêre
Tempore duro.
Nostra mens votis cupidis IEHOVAE
Expetit solius opem, quod ille
Solus est nobis clypeusq; firmum
Præsidiumq;.
Gaudio qui pectora nostra dulci
Replet, & cuius fidei paternæ
Nos palàm committimus atq; nostras
Res simùl omnes.
O tuâ complectere nos IEHOVAH,
Vt soles clemens bonitate semper:
Namq; te spes nostra fidesq; tantùm
Nititur vno.

PSALM. XXXIV.

Benedicam Dominum in omni.

SEu fruar rebus placitis beatus
Dum mihi fortuna fauet secunda;
Seu premar duris, malè fida dum me
Vexat & angit:

Sit dies quæcunq; volet, IEHOVAM
Laudibus semper celebrabo sacris;
Ampla mi sermonis erit seges res
Numinis almi.
Plausibus lætus mea mens IEHOVAM
Efferet, quòd se facilem misello
Præbuit, sub mole graui laborum,
Atq; benignum.
Talem vt afflictis alijs ad aures
Portet euentum, referatq; passim
Fama, mansueti recreentq; se ru-
more secundo.
O pij nunc magnificâ IEHOVAM
Voce cantantes celebremus vnà;
Illius tollamus ad alta sanctum
Sidera nomen.
Anxiâ cùm præsidium IEHOVAE
Mente quærebam, bonus ille votis
Annuit, me sollicito metuq;
Sponte resoluit.
Quotquot in rebus dubijs ad ipsum
Mente se vertunt referuntq; vultu,
His genas infamia non repulsæ
Vlla notabit.
Iste opis cùm nuper egens tremente
Voce clamaret, miserans IEHOVAH
Audijt fletus, precibus pijs as-
sensit & æquus.
Eruit cunctiq; fauens eundem
Queis erat septus penitùs periclis,

Tristibus fati vicibus minantis
Expeditq.
Angelus iussu Domini ex olympi
Arce descendens, pia castra custos
Cingit ac defendit, & arcet hostes
Vimq. repellit
Prapotens; pestem prohibet colonis
Et famem, numen modò si colentes
Ritè diuinum venerentur, atq.
Debitè adorent.
Nec quidem indulgentia blanda IOVAE
Longè erit quarenda, sui sed vltrò
Omnibus prabet specimen, suauis
Nectaris instar:
Quod pijs gustare licet, libebit
Si modò; ò quàm sorte suâ beatus
Audit is, considere qui IEHOVAE
Nouit & audet.
Sancta gens cultu Dominum decente
Affice, hunc & quare pio timore,
Quem colunt quicunq., nihil vel vllo
Tempore egebunt.
Diuites, quandoq. leonum agebant
More, qui pradam iuuenum, supellex
Est domi persepè secuta curta,
Cruda famesq.
Corde sed puro Dominum timentes,
Haud boni vis indiga turbat vnquàm;
Semper at iustos placitis fruuntur
Rebus in vsus.

Hûc adeſte ô filioli, tenellus
Vocibus præbete meis & aures;
Vt metum vos edoceam IEHOVAE
Qua decet arte:
Si mora eſt aui tibi longa cordi,
Commodis vitaq; cupis beata
Perfrui; effrenis furiale virus
Effuge linguæ.
Os velut chamo cohibe, loquatur
Falſa ne; dic vera, foueq; vera
Dogmata, auersére animoq; vana, vt
Pernicioſa.
Abſtinens prauis retineto recta
AEquus & iuſtus, ſtudioq; pacis
Conſulens, ſis almus amator almæ,
Hancq; requiras.
Blandus in rectos Dominus benigno
Reſpicit vultu, querulaq; voci
Commodans aurem facilem petita
Omnia donat.
Sed truci prauos facie intuetur,
Ore eos toruoq; petit, paratus
Nomen è terris abolere eorum
Funditus; idem
Audit inſontes Dominus vocantes
Et fauens votis cupidis eorum
Annuit, cunctisq; potens periclis
Eripit illos.
Præſtò adeſt his numine dextro IOVAH
Corda ſunt oppreſſa quibus malorum

Pondere, hos curis leuat & salute im-
pertit amicâ.
Sæpius iustos grauiter maligna
Sors premit; sed prouidus hos IEHOVAH
Ipse victores statuit retundens
Spicula sortis.
Colligit seruatq; potens piorum
Ossa, nec frangi patitur vel vllis
Casibus, nec mille teri periclis
Vnicum eorum.
Sed scelus mulctabile perdet omnes
Impios; rectos odio prementum
Turba (nempè inuisa Deo) interibit,
More piacli.
Interim curans animas colentum
Se, asserit; culpæ neq; damnat vllum,
Totâ ei qui credere nouit omnem
Mente salutem.

PSALM. XXXV.

Iudica Domine nocentes.

PRæses ô rerum sapiens IEHOVAH
Obsecro te pro misero resolue
Ora; quos mi iurgia dira prauos
Promere cernis.
Iurgio propulsa, & iniqua prorsus
Bella me contra immeritum mouentes
Fortis expugna, capiens in hostes
Arma proteruos.

Esse-

Efferens te viribus, acer hastam
Dexterâ sume, & clypeum sinistrâ
AEreum obtende, vt mihi sis saluti
Præsidioq;.
Hostibus sœuis bis acuto & ense
Obuiam procede malè insecutis
Me, potens hostilem aciem coërce, &
Protege inermem.
Sic meam ô affare animam: timore
Absit ne seruator & vltor adsum,
Ecce præsentem tibi dIa confert
Cura salutem.
Hos rubor turpis subeat pudoris,
Qui meæ vitæ insidias furenter
Tot struunt, meq; in capitis periclum
Sæpè vocârunt.
In fugam retrò rapiantur omnes
Illicò qui damna parant misello,
Qui mihi indignè meditantur atrox
Exitiumq;.
Vt leuem raptat Boreas sonorus
Puluerem porroq; iacit per auras:
Angelus sic prorsus impetitos
Ipse IEHOVAE.
Quâ parant tales abitum, tenebris
Obsiti densis teneantur, imò
Persequens dei præcipites IEHOVAE
Angelus idem.
Nam mihi in cœcis puteis dolosa
Retia insonti posuêre, noxis

Et scro-

Et ſcrobem fodêre animæ carenti
Arte nefandâ.
Sed ruant ipſi in foueam, parârunt
Quam mihi incauti, pereant plagis quas
Quas meis cautâ poſuêre fatis
Fraude, maligni.
Interim ſed mens mea læta captet
Gaudia, & ſecura canat periclî
Omnis, autorem Dominum ſalutis
Hunc q; celebret.
Imò (quod mirabile dictu) & oſſa
Hanc ſonent vocem: Domine ô quis æqui
Se tibi virtute parare ſoli ex
Omnibus auſit?
Cura cui ſeruare potentiorem
Viribus contra tenuem, indigumq;
Certa opis tandem aſſerere à rapinâ,
Vindice dextrâ.
Factio iurata calumniantûm
Sœuit in me criminibus nefarîs,
A quibus planè mea mens abhorret
Conſcia recti,
Facta compenſant odijs benignè
Improbis, mi perniciem parantes,
Qui meæ quærunt animæ orbitatem &
Triſtia damna.
Quos ego affectos malè quando vidi
Condolens illis poſita decorâ
Veſte, lugubres habitus recepi
Triſtis & æger.

Membra ieiunaq; fame sitiq;
Sæpiùs totis crucians diebus,
Vota profudi lachrymis rigata
Pectore mœsto.
Fratris in morem pietate gessi
Me, velut iunctusq; propinquo amicus
Sanguine, & ceu filius atra lugens
Funera matris,
Tristis incessi: mea mens in illos
Officis affecta fuit paratis
Semper, vltrò præterij genus nec
Muneris vllum.
Si qua sors excepit eos amica,
Ipse gaudebam; miseris eorum
Rebus affectus grauiter dolebam:
Sed vice versâ.
Inuident sortem mihi si qua venit
Blanda, iucundum quibus est, acerbum
Quod mihi est, nunquam socios laboris
Se exhibuerunt.
Factio se conglomerat proteruè
Improba, in me fox populi coïre
Gaudet, vt sit pars pede cassa, fœdo af-
fectaúe morbo.
Ipse quos iniurius ante nunquàm
Læsi, in insontem iaciunt nefanda
Probra, nec cessant lacerare famam
Dente procaci.
Integer vitæ mihi quam probatis
Moribus gestisq; pijs paraui,

Quamq;

Quamq; laudato placuisse sensi
Nomine claris.
Euomunt in me rabiem furenter,
Verba conformantq; dolosa verbis
Improbis, mentem sceleri & manus ad-
iungere prompti.
Quin gula ceu mancipia inguinisq;,
Farre conducti sapido minantur
Dira mi, stridore acuumtq; dentes
Terrisonante.
Quàm diu linques Domine hac inulta?
Vsq; quò lentâ patientiaq;
Hæc feres? tandem rogo me tumultu
Exime tanto.
Eripe assertor catulu leonum
Hoc caput, quod præsidio vacare
Ipse desertumq; vides iacere, à
Luce remotum.
Sospes in cœtu vt celebrem frequenti
Te, tuas laudesq; canam sonoro
Carmine illustres, vbi concio con-
fluxerit omnis.
Ne meis gaudere sinas cohortem
Improbam fatis miseris, iniquè
Quæ mihi est infesta odijs premitq;
Me sine causâ.
Perfidi dant signa probri, reductis
Et mihi illudunt oculis proteruè,
Huic parant instans capiti periclum
Viq; doloq;.

Nam bonis praui cupiunt nocere
Iugiter, cum pace nihil loquentes
Aut fide iunctum, petulante linguâ
Omnia turbant.
Queîs vident recti studium probari
Nequiter quauis ratione vexant,
Fraude & occultâ exagitant quietæ
Pacis amantes.
Vocibus quin his etiam soluta
Ora diducunt sua: vah, licet nunc
Hunc diem lætum cupidis (iuuat quod)
Cernere ocellis.
Euge, nunc iam vicimus (id quod est fas)
Inquiunt; ò númne vides IEHOVAH,
Talia, an tanto tacitus feresné
Tempore inulta?
Ne, precor, te longius aufer alme
Mi pater, tandem euigila & tuêre
Ius meum, lentaq; morâ relicta,
Assere causam
Cognitam quam solus habes IEHOVAH
Mi DEVS, patronus adesto causæ,
Continet iuris rationem & æqui
Quæ simùl in se.
Arbitrum te appello DEVS IEHOVAH
Mi, tuâ pro me bonus æquitate
Argue, vt ius obtineat vel æquum
Optima causa.
Frange quæso vltrice manu tumentem
Hostium fastum, sibi forte luctu

Ex meo ne gaudia læta captent,
Sic ſtatuantq;
Corde: quod ſperauimus en habemus
In manu, iam cuncta caduntq; ſupra
Vota, vah iam vicimus, en iacet nunc
Sanctulus ille.
O luant ignominiâ pudoris
Gloriam vanam, quibus eſt voluptas
In meis gaudere malis, notetq; in-
famiâ tales.
Geſtiunt qui clade meâ, rubore
Ora perfuſi veniantq; cladem
Poſt modò ad ſummam, pereantq; in ipſâ
Funditùs omnes.
Sed meæ quicunq; fauent ſaluti
Et piæ, quam fraude remotas omni,
Iure contendi obtinuiq;, cauſæ,
Numine dextro.
Gaudio exſultent, pariter ſonantes
Voce te magnum celebri IEHOVAM,
Te ferant mecum meritiq; ad alta
Laudibus aſtra.
Liberas curis famulum tuum quòd
Anxijs, huius miſeras reponis
Res & in ſortem placidam facisq;
Pace beatum.
Semper hæc te iuſtitiaq; munus
Lingua cantabit, tibi digna laudum
Dicet & præconia continenter
Nocte dieq;.

Nec tuâ me aurora videbit vlla
Laude ceſſantem neq; veſper vllus:
Spiritus donec calidus fouebit
Pectora & artus.

PSALM. XXXVI.

Dixit iniuſtus vt delinquat.

COrde perſuaſum eſt mihi ſic in imo:
Numinis nullo penitùs profanos
Vel metu tangi, vel amore ſanctæ
Relligionis.
Nam licet fuco pietatis ornent
Impios mores varieq; fingunt;
Non ferunt præ ſe tamen vlla veri
Signa timoris.
Quæ ſibi arridenti genio ſuoq;
Facta collaudant ſcelerata, iniqui
In bonos quos vituperando lædunt
Ore proteruo.
Dogmata illorum licet eſſe falſa &
Noxia oſtendat ſatis ipſa aperte
Res: tamen temnunt potiora fido
Corde monentes.
Membra cùm iam compoſuére ſomno
Cogitant noctu vigili nefanda
Mente, peruerſiſq; ſtudent vijs in-
ſiſtere ſemper.
Qui genus nullum ſceleris relinquunt
Quin patrent, pœnas neq; pertimeſcunt

Crimi-

Criminum certas comites sequaces
Vt mora tardet.
Sed tua indulgens moniris IEHOVAH,
Ad polos se porrigit vsq́, celsos,
Ardua excedit tua veritasq́,
Nubila cœli.
Laus tibi tàm iustitiæ manebit
Ampla quàm iuris, magis alta celsis
Montibus, vastiq́, maris profundam
Vincit abyssum.
Gentis humanæ modò non paterna
Cura te tangit, pecudes sed illam
Sentiunt omnes, alimenta queîs tu
Grata ministras.
O DEVS quanti pretij æstimanda
Est tua indulgentia summa? cuius
Nempè (ceu pulli volucrum sub alis)
Condimur vmbrâ.
Tu tuæ vbertate domusq́, cretos
Sanguine humano saturas, & vltrà
Gaudij potæ placidi repleśq́,
Flumine largo.
Fons enim vitæ proprius perennis
Est tibi, vnde erumpit & ille viuus;
Ex tuo haurimus tenebrisq́, pulsis
Lumine lumen.
Hos super, notus quibus es, tuumq́,
Qui colunt numen, bonitatis almæ
Munus expande, arbiter es probatis
Moribus æquus.

Ne ſinas me calce premant proterui
Inſolens quos tollit ad alta faſtus,
Neu manus caris abigat miſellum
Impia tectis.
Fraudis autores ſceleriſq; tandem
Corruant ſic præcipites in auſis
Improbis; rurſum nequeant vt vnquàm
Surgere ad auras.

PSALM. XXXVII.

Noli æmulari in malignantibus.

VIderis ſi fortè homines malignos
Viuere ex votis, placitis & vti
Rebus; irarum cohibeto flammas,
Parce dolori.
Inuidus ne te nimis ipſe torque;
Ne refer tales ſtudijs malisné
Moribus, qui iura nihil verentur,
Fas neq; curant.
Nam velut gramen ſubitò reciſi
Concident herbæ vt virides reſectæ
Falce, marceſcent, cito defluetq;
Gloria eorum.
Nitere at fiduciâ opis IEHOVAE
Tu, tuâ contentus & eſto ſorte;
Fas cole, & acquire labore honeſto
Commoda vitæ.
Sit voluptatum tibi ſummus IOVAH,
Hoc in oblectare, tuiq; cordis

Annuet votis bonus ille, clemens
Teq; fouebit.
Muneris quodcunq; geras, IEHOVAE
Fac tuas committe vias, in illo
Nitere & spe, perficietq; cuncta
Prouidus ipse.
Quam foues causam, bona si sit, instar
Lucis illustrem faciet, tuumq;
Ius, die ceu Sol mediâ coruscat,
Proferet idem.
Res fer aduersas patienter, atq;
Posce opem expectans Dominum, silensq;
Huic piè, tandem experiére certam ad-
esse salutem.
Sorte si quandoq; nimis secundâ
Improbus florens, petulanter omni in
Labe se voluat, sine, stricta & irâ
Injce frena.
Feruidam compesce fugaq; bilem,
Sic nec indulge rapido furori;
Vt parùm rectè facias tuo quod
Munere dignum est.
Impij mox stirpe reciſi ab imâ
Exitu tristi pereunt; IEHOVAE
Spe sed innixi capient feracis
Commoda terræ.
Si libet, cunctére parumper, expers
Numinis nusquàm dabitur superstes,
Quære vbi sedes lateant auitæ?
Nemo docebit.

Corde sed qui sunt humili & modesto
Incolent cum iure solum tenentes
Patrium, & verè placidâ beati
Pace fruentur.
Impius iusto fera comminatur
Fata, concinnansq; dolos fremensq;
Dentibus sœuus, vomit ore diro
Spirat & ignes.
Cœlitum Rex prospiciens IEHOVAH,
E throno cùm talia cernit alto,
Ridet, aduertens sua iam scelestum
Fata manere.
Improbi stringunt manibus cruentis
Et vibrant enses, rigidus sagittas
Arcubus torquent celeres, necisq;
Tradere tentant
Pauperes ac innocuos, egentes
AuxilI, planè viduos & omnis
ConsilI, prorsùs simùl ac inermes,
Viribus orbos.
Sed retrò inuersis gladij subibunt
Ictibus præcordia eorum, & arcus
Lethifer fractus, validam ante dextram
Concidet vltrò.
Parua res si sit benè parta iusto,
Præstat immensis opibus cohortis
Impiæ: vires etenim IEHOVAH
AEquæ secutis
Dat viris, fulcitq; potente dextrâ
Et fouet tales bonus, æquus idem

Arbiter, qui prorsùs & impiorum
Brachia frangit.

Nouit obseruans Dominus piorum
Et dies omnes pariterq; & annos,
Recula illorum, & stabilis manebit
Flore perenni.

Seu ferus grassetur in orbe miles,
Seu minans mortalibus atra pestis
Ingruat, seu dira fames; pericla
Nulla timebunt.

Spes nec hos fallet, labor interit cùm
Forsàn impensus sine fruge agellis:
Quin Ceres vel tunc etiam replebit
Horrea eorum.

Sed rudes sanctâ in pietate tristis
Opprimet casus, miserabiliq;
Exitu infensi Domino peribunt
Fundùs omnes.

Floreant quamuis vt amœna vere
Prata iucundo, subitò fatiscent;
Fumo vt euanescit adeps opima
Victima in auras,

Mutuum sumit pietatis expers
Improbus, sed debita soluit ægrè,
Vir bonus quod commiserans egenis
Donet, habebit.

Namq; ei de paupere sorte semper
Vnde det restat: quibus is precatur

Fausta,

Fausta, eis vsura soli sui con-
tinget in orbe,
Prædia vt natî teneant auita:
Sed quibus iustus maledicit, horum
Semen è radice peribit imâ
Omne reuulsum.
Nam viri vestigia talis ipse
Dirigit, gressusq; probat IEHOVAH,
Sustinet dextraq; potens minantem
Fortè ruinam.
Si quis hunc lapsus feret in pericla,
Non dabit mox vna tamen ruina
Prorsùs euersum; quia fulcit ipsum
Dextra IEHOVAE.
Qui puer quondam fueram, senescens
Nunc, mihi visum memini relictum
Neminem iustum, quærulaué panem
Voce rogare
Liberos eius; siquidem misertus
Commodat, promptus dat egentibusq;;
Et tamen natis bona dines idem
Ampla relinquit.
Ne malo indulge genio, sed æquum
Fasq; custodi, scelus omne vitans:
Tunc tibi sors perpetuos in annos
Fixa manebit.
Diligit nam ius fouet & IEHOVAH
Qui suos sanctos opis indigentes

Deserit nunquàm; sed eos perenni
Tempore curat.
Impium cum stirpe perit reuulsum
Funditùs, semen; sola culta terra
Sed cohors hares pia finem ad orbis
Vsq; tenebit.
Candidus sermo & sapiens ab ore
Editur iusti, docilisq; lingua
Illius de gutture fundit vdo
Non nisi recta.
Hic sui legemq; Dei fideli &
Integro semper retinere gaudet
Corde, ne gressum via fortè eunda
Lubrica fallat.
Impius iusto parat arte fraudem
Callidâ occultam, cupiens acerbâ.
Quem piè vitam coluisse nouit
Morte peremptum:
Asserens vindex sed eum IEHOVAH
Eripit diris manibus malign.
Hostis, insontemq; tuetur ante
Iudicis vrnam.
Si moram quandoq; facit IEHOVAH,
Perfer expectans, cole fas & æquum:
Illius sectare vias nec vnquàm
Inde recede.
Isq; te extollet, gradibusq; honorum
Reddet illustrem; tibi lauta & ampla,
Iusto vt haredi, dabit excolenda
Iugera terræ.

Stirpe succisos penitùs videbis
Impios ima, scelerum luentes
Scilicet pœnas, vbi ab omni eru tu
Clade solutus.
Vidi ego exosum sacra & insolentem,
Turgidam fastuq; superbo, ad instar
Laureæ florere comis perenni
Vere virentis.
Transij rursùs nitidam requirens
Gloriam, nusquàm reperi, notatis
Nec locis vidi: nec erat superstes
Gloriæ imago.
Sis tenax recti, probitatis atq;
Te iuuet semper studium, tueri
Cura sit morum tibi vita & omnis
Integritatem.
Nam probos tandem placidus manebit
Exitus; tristi citò sed peribunt
Improbi, quos hora breuis vel vna
Auferet omnes,
Quin cadent à stirpe simùl maligni.
Triste quos fatum manet, & profani
Turba sed lætam piu deget almâ in
Pace senectam.
Integris vitæ est Dominus salutis
Causa, quos rebus miseris & arctis
Protegit, seruat, validaq; dextra
Robore fulcit.
His & est præsto in medijs periclis
Vi suâ, & fert promptus opem petitam;

Vindicans à sontibus hos beatq;
Sorte quietâ.
Spes ratas semper faciet piorum,
Fortiter qui seq; suasq; credunt
Res huic vni: potè quos nec vnquàm
Deseruisse.

PSALM. XXXVIII.

Pœnitentialium tertius.

Domine ne in furore.

BIle ne accensus calidâ, IEHOVAH,
Arguas me quaso, manu furente
Criminis nec plecte reum nefandi
Motus ab ira.
Nam meo cordi tua spicula inhærent,
Ictibus crebris lateri cauoq;
Instat infestans tua dextra, & vrget,
Et premit ægrum.
Non vacat pars corporis vlla morbo,
Iam mei; sic percutit illud ira
Vis tua, vt totum trepidet, nec ossa
Pace fruantur.
Obruunt delicta meum profundo,
Heu, caput ceu gurgite, molis instar
Degrauant me saxea, ad alta rursus
Quando renitor.
Sordido fœtore scatent cruenta
Vulnera; hæc monstrare tibi medenti
Distuli quòd stultus, & hinc subindè
Pœna nouatur.

Terga depressus miser heu dolore
Curuus incedo, assiduis diebus
Inquies tristem facit, angit & me
Cura fatigat.
Ilia arescunt mea tabe putri,
Sana consistit caro nec sub vllâ
Parte; quòd qui corpus alebat humor
Exsulet omnis.
Prorsùs immutor facie intimoq;
Corde, contusum quod & inquietum
Eiulat rugitq; Leonis instar,
Et fremit ægrum.
Quid velim votis cupidis, IEHOVAH,
Perspicis, quas spes foueamq; mente;
Nec latent suspiria te profunda
Pectoris anxi.
Palpitat languens mihi cor, recedunt
Et mea vires, lachrymisq; crebris
Perdidi iam lumina, fœda amarè
Crimina deflens.
Sanguinis iunxit ratio propinqui
Quos mihi, communio quos sodales,
Hinc procùl fugêre, meos labores
Aspicientes.
Vita queîs inuisa mea est, dolosa
Retia intendunt mihi comparantes
Impias fraudes, furiali & arte
Tristia damna.
Obstruens aures sed ego instar adsto
Surdi, & vt mutus taceo, nec vllis

Vocibus contra petulantis vtor
Scommata linguæ.
Sicut elinguis reputor stupensq;
Auribus, vocem accipere aut eandem
Reddere, obiectum nequeatq; qui re-
fellere crimen.
Interim expecto tamen, ô IEHOVAH,
Te, meo respondsa loco daturum,
Falsò ad obiectum mihi crimen, adsis
Obsecro vindex;
Hostibus fiam sine ne superbis
Risus, insultare meis proteruè
Qui malis gaudent, dubijs pedes si
Fortè vacillent
Gressibus; casus prohibe triumphent
Ob meos, natus videor ferendis,
Heu, quibus, cui semper & in paratu est
Causa doloris.
Antè quod texi scelus, vltrò in auras
Profero nunc, narro measq; culpas,
Cura peccati miserum nefandi
Vrit & angit.
Nam mihi vitæ veniens prioris
Actus in mentem, meruisse pœnas
Me graues aduerto, tueri & altum
Tædet olympum.
Sed meam dum ploro querendo sortem,
Numinisq; imploro fidem supremi;
En meos fortuna procax potenter
Adiuuat hostes.

Robur

Robur & vires numerosa sumit
Factio, viuuntq; vigentq;, iniquis
Qui malè infestant odijs nocente
Culpâ alienum.
Optimè de se meritò rependunt
Gratiam anguinam mihi qui resistunt;
Recta quòd sectier studeamq; vita
Integritati.
Ergò cùm tali mea res, IEHOVAH
Mi DEVS, sit fixa loco, relinquas
Ne precor me, nec magis hinc recedens
Longiùs absis.
Auxill in summis mihi tu periclis
Autor es, tu causa salutis idem:
Quare & accurrens citò fer salutem
Subsidiumq;.

PSALM. XXXIX.

Dixi, custodiam vias meas.

DIx ego: obseruabo vias decenter
Sic meas, ne forsitan error ore
Excidat, linguaue ferens procaci
Iurgia, peccem.
Vrgeat florens licet insolenter
Impius me: sic tamen ora frenis
Obserabo arctis, petulantius ne
Quid fluat indè.
Muti ad exemplum taceo profana
Gaudia, infestet quòd & intus angat

Cor dolor tristis vehementer atq;
Torqueat agrum.
Igneus in visceribus profundis
Concoquens cor excitat ira flammas;
Nempè dum mecum meditor, silens quæ
Sorte fatiger.
Sed tamen me bilis adegit acris
Rumperem vt tandem taciti silentI
Vincula, his dictus : mihi pande vitæ
Terminum IOVAH.
Fac sciam quantus numerus dierum
Restet ad lucem mihi, quàm diuq;
Hoc fruar mundo nimium maligno ad
Vltima fata:
Ecce te coram spacioſa palmum
Vita vix vnum superat nihilq; est
Hoc apud te, viuitur hic quod aui
Tempore multo.
(Quippè si collatio certa nostræ
Et tuæ vitæ instituenda, nostra
Vix tua vita ratione paruo
AEmula puncto est.)
Imò nil sunt cuncti homines, vel vno
Agmine, & securo animo vagantur
Hi tamen, spectro similes & instar
Labilis vmbræ.
Vmbra quos certè tenebraq; fallunt
Dum nimis torquent maceranq; curis
Anxijs semet, pariter dolosis
Spebus &, ipsos.

Otia vt luci, requies negatur
Nocti, opes conquirere si licebit
Nescijs, cœci cumulum quis auri
Occuper hæres.
Hic ego sed quid faciam? IEHOVAH,
Quid mihi solatij erit superstes?
Te petit fidum mea spes patronum
Nescia falli,
Libera culpis precor, heu pudendis
Me, lue admissa, resolue pectus
Hoc, mihi quæ fons & origo prima &
Causa malorum est,
Ne sinas, vt ludibrijs acerbis
Improbi insultent mihi mente capti
Vana neu fiam fatuo & procaci
Fabula vulgo.
Sed licet conuitia dira linguæ
Audiam effrenis: tamen oris arcta
Claustra seruabo; hæc sine quòd tuo non
Numine fiant.
Nam tua pœnas statuo illa iustæ
Vindices iræ, mihi quæ ferenda
Mente sunt æquâ; tibi sed vicissim
Gratia habenda est.
Supplici sed quando satis datum est iam,
Parce pauliſper precor, aufer æquus
Verbera, in me quæ renouas subindè
Iure seuero.
Nam tua inflictu validò perire
Dextera cogar penitùs ferendis

Cùm tuis tot sit mea vita plagis
Amplius impar.
Tu DEVS si iure velis reatus
Plectere humanos rigido, decora
Concidet frons, ceu tineis peresa
Lanea vestis.
Proh dolor, quàm futilis & caduca
Res homo est, totus nihil est; imago
Vana ni fortasse sit aut inanis
Vmbra putandus.
Obsecro lenem precibus IEHOVAH
Des pijs aurem, lachrymas tepentes
Respice, & ne sperne tacens querelas
Supplicis agras.
Candidos ostende mihi benignè
Hospiti vultus: colo namq; terram
Hospes hanc, exsul vagor & meorum
More parentum;
Qui vagas sedes habuêre cuncti,
Hospites vitæ spaciumq; terrâ in
Hac breue exegêre, domus nec vlli
Propria mansit.
Ah precor paulùm remoue seueram
Iam manum, vt possim reuocare vires
AEger, extremis iubear priusquam
Cedere fatis.
Postmodò vinclis vbi ponderosi
Corporis liber fuero, patentem
Ianuam cœli repetens perenni
Tempore viuam.

PSALM. XL.

Expectans expectaui Dominum.

O brutus iam pœnè malis, IEHOVAE
Numen obtestando morabar æger,
Dum meas pronâ placidus querelas
Audijt aure.
Horrido squalore lutiq; ankelum
Me lacu extractum supera ad recepit
Arua firmatosq; pedes in alta
Rupe locauit.
His viam gressuq; tenaci inire
Ipse monstrauit, mihi carminisq;
Extat non autor modò, sed canendi
Et seges ipsa.
Spiritu afflauitq; nouo beati
Numinis pectus trepidum, decenter
Vt Dei laudes liceat sonare
Dulcibus hymnis.
Hæc videns euenta cohors profana
Gentis, accurrent Domini timoris
Causâ, & illius fidei volent com-
mittere sese.
O virum cunctis numeris beatum,
Qui fide spectat stabili IEHOVAM,
Quiq; mendaces fugit, odit altâ
Mente superbos.
Quàm suprà sortem Deus ô IEHOVAH,
Multa communem bonitatis alma

Edis in nos signa homines misellos,
Quamq; stupenda.
Cogitat qua mens tua cunq;, mira
Sunt, & humana superant acumen
Mentis, exemploq; caret quod ipse
Efficis vnus.
Mente complecti licet ista nemo
Qua facis possit, memorare verbis
Nec: canam sacris ego tanta latus
At tamen hymnis.
Quòd tibi sit victima nulla grata,
Nec placens oblatio, fictor aures
Ipsus aptásti mihi, qua paterent
Ad tua iussa:
(Exequi qua prompta mihi est voluntas,
Eluam vt labem sceleris cruore)
Hostia haud fumos petis, expiantis
Nec sacra flamma.
Ecce iam dixi, venio pater mi,
Et libens adsum, refero volumen
Deq; me scriptum, vt tibi grata lytron
Victima soluam.
Mi DEVS, mens huc mea spectat, omne
Huc meum tendit studium, vt fidelis
Exequar quacunq; tua requirit
Regula legis.
Hanc enim circumfero semper imo
Pectori incisam, mihi vita & vnam
Hancce rectricem statuo omnibus ceu
Casibus aptam.

Te ca-

Te canam iustum in populo frequenti
Præco, qui nunquàm mea labra clausi
Continens, sicut mihi tu IEHOVAH
Testis es ipse.
Nam tuæ laus iustitiæ latebris
E meï sese exerit vsq; cordis
Intimi; quin & fidei tenacem
Atq; benignum
Voce te magnâ celebrabo semper
In sacris conuentibus, indice vt me
Veritas fiat tua nota cui cle-
mentia iuncta est.
Ne mihi committe precor IEHOVAH
Gratia abscedat tua; quin tuêre
Me bonus, promissi animo fides id
Spondet vt ægro.
Nam malis pœnè innumeris coarctor
Obrutus; dum crimina tot patrata
Defleo, visus acies sagacis
Prorsùs hebescit.
Heu meos vincunt numero capillos
Ista, præ curis animus reliquit
Anxijs me, nec superest pusillo
Viuida virtus.
Ergo sis præsto mihi nunc IEHOVAH,
Fautor, assertorq; salutiferq;,
Quæso fer gressum citò, me malis &
Eripe tantis.
Heu viros tandem pudeat malignos
Consilì praui, hanc animam dolosâ

Qui petunt fraude, & cupiunt cruentâ
Perdere morte.

E meo qui lata dolore captant
Gaudia infando, recidant suâ spe
Ad probrum retrò, simùl & dolenda
Damna reportent.

Speq; frustrati rubeant pudore,
Nostra queis ad lætitias ruina
Præbuit causam, cupidis subindè
Dicere vah vah.

Gaudia exultent, sua seq; totos
Qui tua credunt fidei, salutis
Spes tuaq; illos recreet, fatentes
Voce celebri,

Laudibus summis Dominum ferendum ad
Astra sublimis nitidiq; cœli:
Quippe cui debetur honor, decus, laus,
Gloria soli.

Plenus ærumnæ miser, æger, exspes
Ipse sim quamuis, mea sit salus pro-
iectaq;, & res iam videatur omnis
Fracta labascens:

Suscipit curataq; tamen IEHOVAH
Prouidus me, consulit antè longè
Et mihi, tutor meus & redemptor,
Et DEVS idem.

O mea spes ergo salutis adsis,
Amplius nec differ opem moratus:
Nam mora afflicto grauis est & auget
Tarda dolorem.

PSALM. XLI.

Beatus qui intelligit super egenum.

PLurimis ô ille modis beatus,
Pauperis qui res miseratus ægras
Condolet, solatur eumq; verbis,
Officijsq;
Adiuuat, nec despicit insolenter;
E malis hunc eripiet diebus,
Casibus cunctisq; periculorum,
Ipse IEHOVAH.
IOVAH ei custos aderit fidelis,
Prospera & longæua dabitq; vita
Tempora, vt terra experiatur vsum
Vbere fructu.
In potestatem sinet hunc suorum
Hostium nec fraude venire, nec vi,
Languidum morbo placidâ fouebit
Aiq; leuabit
Dexterâ, affixum querulo cubili.
Reddet immunem penituq; ab omni
Morbo, & ingentes facilis dolores
Ipse repellet.
Hac ego inductus bonitate summi
Numinis, crescente magis dolore
In dies, tum talia verba feci:
Sancte IEHOVAH,
Perferam quæ fata vide misertus,
Vulnere atroci sceleris nefandi

Saucia mitisq; animæ medelam
Ferto salubrem;
Turbida pacem placidusq; reddas;
Quæ, suâ quòd labe tua est voluntas
Læsa, fert valdè grauiter, reatus
Sponte fatendo.
Improbi in me dira loquuntur hostes
Ore clamoso, cupiunt malignâ
Et mihi cum nomine morte vitam
Prorsùs ademptam.
Si venit me visere fortè eorum
Vnus aut alter, simulans amicum
Se, trahit suspiria mœsta falso
Pectore lætus.
Quippè solentur veniunt vt ægrum
Non, latens sed quâ ratione virus
Euomant quærunt, referant foris q;
Dextra siniſtrè.
Clanculum, infesti mihi, consusurrant,
Inq; coniurant facinus cruentum,
Consiliis iunctis mihi non merenti
Damna parantes.
Iamq; concluso scelere, hic miserus
Inquiunt, lecto iacet ægrè adhærens,
Cui dabunt nec vim fera fata stratis
Membra leuandi.
Illud in primis animo dolorem
Gignit infandum; quòd amicus ille
In fide cuius mihi erat salutis
Magna repôsta

Spes, meo qui tempore pane tanto
Vescitur, mensaq; mihi domoq;
Iunctus, heu, me supprimit, insolenti
Et pede calcat.

Ergo quid nunc? suscipe me benignè
Autor ô custosq; mea salutis,
IOVAH, protecti miserere, & agro
Porrige dextram

Iam salutarem, releuans iacentem
Viribus cassum; mihi, fac, vt hostes
Criminis pœnas aliquando pendant
Perfidiæq;.

Hoc mihi pignus patrij fauoris
Certum erit: si non patiere, vt vltrà
De meis, ceu antè, malis triumphet
Barbarus hostis.

Cùm tibi vitæ ratio probata
Sit mea morum integritasq;, seruas
Me fauens, ac incolumem labante
Sorte tueris:

In fidem seruumq; tuam receptum
Me, tuum vultum statuis benignum
Ante, vt obseruem, tua sancta cunctis
Numina seclis.

Gentis Israëlis Dominum DEVM q;
Totus agnoscens colat orbis, ornet
Laudibusq; hunc perpetuis, & Amen
Dicat & Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.

PSALMORUM
LIBER SECVNDUS

PSALM. XLII.

Quemadmodum desiderat ceruus.

VT celer ceruus, fera turba rictu
Quem canum vexauit hiante, ad vndas
Rugiens festinat, auetq; anhelum
Fonte rigare
Algido cor: sic mea mens dolore
AEgra, te desiderat ô IEHOVAH,
Et tua præsentia opem benignam
Anxia quarit.
Hùc amor dulcis vehemens & ardor
Me rapit, votis cupidis vt optem
Hunc diem, quo latus adibo sacri
Limina templi:
Vt mihi rursùs liceat videre
Candidus vultus Domini, illiusq;
Nomini cum gente piâ celebres
Dicere laudes.
Lachryma noctesq; diesq; amara
Sunt mihi pro pane, meis maligni

Dum

Dum malis nunquàm petulante lingua il-
ludere ceſſant.
Quin, proteruè aiunt, vbi nàm DEVS nunc
Eſt tuus? cui credere temet vni
Auſus es, cur deſerit is miſellum
Tempore tanto?
Quando ego mecum tacitus recordor
Talia, in curas mihi molle triſtes
Diffluit cor; algida colliqueſcit
Nix vt in vndas.
Et tamen votis nihil eſt magis quod
Expetam, cœtu comitante ſancto
Quàm Dei auguſtiſſima continenter
Viſere templa.
Plauſibus lætis vbi cuncta latè
Perſtrepant, & carmina grata iunctis
Vocibus turba reſonent alacres
Diuite pompâ.
Cur tuo mens ægra modum dolori
Non facis, cur gaudia cuncta tollis
Heu mihi, cur mœſta nouo tumultu
Pectora turbas?
Fac metum depone quieta tandem
Ac DEO committe tuam ſalutem,
Colligens vires animoſa perſles
Spemq; fidemq;.
Namq; me vultu patrio IEHOVAH
Soſpitem ſeruabit; ei viciſſim
Vt canam pro munere tanto, in omni
Tempore grates.

Hæc licet mentem recreet pusillam
Spes; tamen quandoq; resurgit imo
In sinu cordis mihi vis acuti
Tanta doloris:

Te sine, vt resident animæ miselle,
O DEVS, solatia nulla. Semper
Feruidis ergò tua sancta posco
Numina votis.

A domo quanquàm patriâ fugatus
Exul, Hermonis iuga iordanisq;
Beluas inter colo solus oras
Nocte dieq;:

Imbris vt sæui glomerata & agmen
Grandinis fluctus mouet, & procellas
Cogit vndantes, quatiens fragorq;
AEthera findit:

Sic miser denso grauium malorum
Agmine oppressus iaceo; dolorem
Heu dolor tradit, fera ceu abyssus
Vrget abyssum.

Nec tamen suffocor in his profundis
Fluctibus: tu me siquidem paternâ
Extrahis dextrâ, recreasq; rursùs
Luce serenâ.

Quippè promissi memor, at manente
Interim noctis trepido pauore;
Te tamen cantabo tuumq; nomen
Dulce precabor.

O meæ vitæ columen salusq;
Certa, cur quæso immemor esse pergis

Sic mei, cur non, velùt ante, vota
Iam mea curas.
Cur ego luctu, lachrymis, dolore,
Tàm diu conflictor, ab hostibusq;
Opprimor sœuis, tua dum quiescit
Dextera vindex?
Ignibus pectus tacitis anhelum
AEstuat, dum turba mihi proteruè
Impia illudens, rogat, heu vbi nunc
Est DEVS iste?
Qui tua solus sit amans salutis,
Ausus es cùi credere temet vni,
Exulem cur deserit is vagantem
Tempore tanto?
Sed quid es tristis mea mens dolore
Anxio? depone metum DEOq;
Fide, & obdurans tua spe quietâ
Damna leuato.
Namq; te tandem rapiet IEHOVAH
E manu mortis; referas vt illi
Postmodò grates, tibi quòd DEVS sit
Atq; Redemptor.

PSALM. XLIII.
Iudica me Deus.

COElitùm rector bone, quaso iustus
Sis mihi iudex, age & ipse causam
Tu meam contra populum profanum,
Arbiter aquas.

Fraude peruersâ scelere impioq;
Protege oppressum laqueis, maligni
Quos mihi dudum posuêre, fractis,
Eripe captum.

Tu DEVS virtus mea, petra, robur
Es meum, cur ergò modò repellis
Me, tuum cur auxiliumq; durus
Subtrahis agro?

Cur vagor luctu obsitus heu amaro;
Dum ferus me mortiferâ pusillum
Vndiq; infestans premit, vrit, vrget
Clade Tyrannus.

Fac tuo candore meus tenebras
Dissipa verbo penitùs carente
Fraude, ad excelsiq; viam patentem
Culmina montis

Sancta commonstres mihi, vbi beatas
Incolis sedes, vbi latus aram
Ad tuam accedens, tibi vota supplex
Debita soluam.

Tu DEVS fons laticis perennis
Es mihi: idcircò fidibus sonoris
Barbiti dulcis tibi grata ludens
Carmina pangam.

Quid mage afflictas mea mens dolore
Temet! omnem pone metum & quieta
Iam modò fac viue; tuiq; curam
Crede IEHOVAE;

Laude quem sospes super alta tollam
Sidera, & cantu celebrabo dulci

Gratus; ostendat mihi quòd paterni
Lumina vultus.

PSALM. XLIV.

Deus auribus nostris audiuimus.

PEruetus nostris, DEVS alme, famæ
Attulit pridem auribus hæc, subindè
Quæ patres nostri occinuére nobis
Voce frequenti:
Nempè de factis nimium stupendis,
Dextra patrauit tua quæ potenter
Seculis priscis, memoranda in æuum
Omne futurum.
Tu manu gentes validâ profanas
Pristinis è sedibus expulisti
Patribus nostris stabilem locumq;
Ipse dedisti.
Tu DEVS perdens populos feroces
Funditùs, seruare tuos fideles
Atq; dilatare per orbis oras
Hos voluisti.
Quippè non armis peperére duris
Nec suis in viribus, hasce terras,
Pace florentes modò, liberasq;
Barbaro ab hoste.
Dextra sed virtute potens IEHOVAE,
Illius lenisq; fauoris aura,
Candor & vultus placidi, & suauis
Gratia iuncta.

Tanta persecêre bona. Ergò es idem
Tu meus Rex ille, DEVS paterq;
Antè, qui promissa Iacobo es autor
Duxq; salutis.

Dante te vires subigemus hostes
Sub iugum nostrum penitùs redactos;
Nomine in sanctoq; tuo simùl de-
lebimus omnes,

Quotquot audebunt validis in armis
Se feroces opposuisse nobis;
Quin cadent cuncti subitò cruentâ
Morte perempti.

Ferreo fiducia tanta ab arcu
Non venit nobis, rigido nec ense;
Tu sed es noster DEVS ille, qui nos
Protegit vnus.

Qui facit vindex superare inermes
Tot feros armis rabidis Tyrannos;
Tu solo nobis inimica tandem
Agmina sternes.

Iure te cantabimus ergò lati,
Et tuo grates referemus vnà
Nomini sancto, ignea donec orbis
Astra reuoluet.

Sed pater, cùm sis bonus atq; mitis
Semper, ah cur abijciens pusillos
Nunc, sines confundier ante vultus
Hostis acerbi?

Sic nè iam summis potes in periclis
Immemor nostri esse? Ducis nec vltrà

In pijs dignabere, vt antè, castris
Munere fungi?
Heu coëgisti dare terga sœuis
Hostibus paruum miserumq; cœtum;
Heu feris iam prada sumus tyrannis
Sordida facti;
Dentibus qui nos laniant acutis,
Deuorantq; instar pecudis macello
Destinata, gentibus implicatos
Prorsus iniquis.
Tu tibi vendis populum dicatum,
Et preti nil indè tamen reportas;
Tu facis vicinia nos proteruè vt
Rideat omnis,
Gaudeat nostrisq; malis; profanæ
Heu sumus iam fabula vana genti,
Quæ probris nos afficiens nefandis
Pregrauat agros.
Imò & hinc longè populi remoti,
(Incidat si mentio fortè nostri)
Labra diducunt caput atq; motant;
Omnibus ebeu
Sic sumus mortalibus ergo spreti:
Quin pudor vultus etiam decoros
Insicit, dum probra serunt maligni &
Iurgia misceant.
Et minas addunt rigidas subindè,
Quippè vindictæ cupidi, vt pauentem
Conscijs recti incutiant timorem
Conscelerati.

Tot quidem clades patimur miſelli;
Sed tui noſtras tamen vlla mentes
Cepit haud obliuio, nec relicti
Fœderis vlla

Eſt penes nos culpa dolenda ſacri:
Nec retrò verſi ſumus infideli
Corde, reflexis pedibus tuâ nec
Semitâ abiimus.

Ah pater cur nos igitur repellis,
Abijcisq; inter medios Dracones?
Obruens nos perpetuis tenebris
Mortis in vmbrâ.

Si Dei veri meritis iniqua
Mentibus ſe obliuio fortè noſtris
Perfidis effunderet, aut daremus
Diis alienis

Et preces & thura, manus ad aras
Fumidas cum gentibus eleuantes
Impijs; iam iuſta foret ſupremi
Numinis irâ:

Sed DEVS, qui pectoris in profundis
Intimi intendit latebras acuta
Lumina, aduertit benè quid geramus
Corde ſub imo.

Ergò nos vindex tuearis ipſe
O DEVS: Nam te mala tot ſubimus
Propter, agnorum tenerumq; ſemper
Cædimur inſtar.

Ah DEVS conſurge modò, quid vltrà
Te ſilens ſomnus capiat! repulſos

Cur finis nos, cur patriumúe pergis
Condere vultum!
Cur tuos sic negligis in periclis
Vltimis! vix nostra anima est superstes
Amplius, prostrata iacens sub atro
Puluere mortis.
Viribus defecta stupentq; cuncta
Membra, quin inclinat & ipse venter
Imus in terram, magè vixq; macris
Ossibus haret.
Corporis sic ergò animiq; cassos
Viribus, tandem pater alme surgens
Recrea, vindex truculento ab hoste
Asserе victos.
Solius pro munere vera tanto
Vt tuo semper tribuatur vltrò
Nomini, qua tempore duret omni,
Laus bonitatis.

PSALM. XLV.
Eructauit cor meum.

COrde iam pridem meditor venustum
Carmen, en fando mea lingua planè
Certat exæquare animum, manusq;
AEmula linguam;
Ritè scribendo meditata dudùm,
Rege de, cuius specie decora
It supra natos hominum elegantis
Munere formæ.

Quàm tuis diffusa fluit labellis
Gratia è blandis, decorans q; suauis
Os loquela? ergo tua tot IEHOVAH,
Dotibus ornat
Pectora, & quacunq; geris secundat
Ipse, complectens patrio fauore
Te tua ductus modò sempiterna
Laudis honore.
Ense pracinctum latus, inclyta heros,
Armaq; ostentans, validos per hostes
Prosili, ornatuq; iubar decoro
Solus adæquans,
Quali in ornatu tibi cuncta cedant
Prosperè; incedens moderator æqui
Et boni, fac iustitia comes sit
Gratia mitis.
His tibi surget ducibus perennis
Gloria, & fundet tua dextra latè
Clara in ignota regionis oras
Facta stupenda.
Tu potens armis peracuta gestas
Tela, queis sternis populos feroces,
Cogis & gentes tibi tot superbas
Subdere colla.
Irruis durus medios q; in hostes
Quotquot in Regem scelerata sumunt
Arma, pessundans pedibus subactos
Protinus omnes.
Sicut æternus DEVS es manesq;:
Sic erit semper tibi fixa sedes

Imperi, rectiq; geres perenni
Tempore sceptra
Imperi, terraué marisué claudi
Termino quod non poterit, nec aui
Quamlibet longi spacium quod vnquàm
Finiet vllum.
Diligis tantùm quia iusta & æqua
Prauaq; odisti cane & angue peiùs;
Pra tuis consortibus ergo cunctis
Te DEVS vnxit
Balsamo vultum exhilarante oliua:
Vnxit, ô te Nate DEI, IEHOVAH,
Vt tuos vngas itidem sodales
Flamine Sancto.
Quin tua vestes redolent suaues
Halitus myrrha, casia atq; stactes,
Gloriâ quando inclytus è palatis
Tendis eburnis.
Imò & in splendore tuo coruscant
Filiæ Regum, ad tua iussa prompta,
Virgines inter reliquas modestas
Atq; sequaces.
At thori consors tibi dextrâ adhæret
Picta gemmato radiante & auro,
Misit Eöis Ophyre quod vsq;
Flaua caminis,
Filia, auscultans mihi iam monenti
Recta, demittes patulas in aures
Quæ tibi sunt dicta modò, & sub imâ
Mente recondes.

Nunc tua obliuiſcere ſtirpis, vlla
Nec domus te cura grauet paterna;
Ex tuo depone animoſa cunctos
Corde propinquos.

Scilicet Regem capiet venuſta
Forma, qua præſtas alijs puellis;
Hunc tuum agnoſcens Dominum trementè
Pectore adores.

Te Tyrus diues cumulabit auro &
Murice, & gazis populi potentes
Offerent lati tibi ſupplicando
Plurima dona.

Tota reſplendet generoſa proles
Regis, exornata nitetq; gemmis;
Pura ſed mente interiore, puro eſt
Pulchrior auro.

En tibi Rex ducitur hûc amata
Sponſa, qua induta eſt vario colore
Veſtibus pictis habituq; miro,
Ceu decet ipſam.

Hanc & innuptæ comites ſequuntur
Virgines, dum pompa frequens canoro
Ducitur plauſu, propè Regiamq;
Iter ad aulam.

Hinc loco qui te genuêre patrum,
Deinde naſcetur generoſa proles,
Nomina in ſeros tua qua propaget
Vsq; nepotes.

Sceptra qui totum teneant per orbem
Regia, & frenent populos rebelles;

Sed regant ciues placidè paterno
More fideles.
Ipse te per secula cuncta mundi
Et tuum nomen memori tenebo
Mente, cantabo(que) tibi sonora
Carmina laudum.
Te colent gentes etiam remotis
Dissita in terra omnis parentis oris;
Donec inconcussa manent coruscis
Sidera cœli.

PSALM. XLVI.

Deus noster refugium & virtus.

IPse cùm nostra columen salutis
Arx(que) sit munita satis IEHOVAH;
Fidus è summis rapiat patronus
Nos(que) periclis:
Ergò vim nullam pauidâ timemus
Mente, seu mundus pereat, deorsùm
Seu cadant celsi subitò in profunda
AEquora montes:
Sæuiat ceu Oceanus procellis
Turbidis, & gurgite vorticoso
Torqueat fluctus rapidos & alta
Cùmina montium:
Vrbs tamen sacrata DEO manebit
Semper inconcussa, fluentq; riui
Vndiq; hanc circùm salientis vnda
Atq; salubris.

Hic, vbi tentoria sacra dudum
Fixit excelsus DEVS, atq; sanctis
Est suus præsens opifer benignus
Nocte dieq;.

Impiæ gentes foueant inanes
Spes, cadant belliq; furore mundi
Regna; quin voce altitonantis omnis
Terra peribit.

At DEVS, terræ Dominus maris q;
Et poli, est nostra columen salutis,
Qui fuit seclis tuus, ô Iacobe,
Tot DEVS antè.

Huc adeste & cernite quæ patrauit
Mira, & haud audita prius IEHOVAH,
Orbe qui toto peragit vel vno
Omnia nutu.

Hostibus fusis cohibet cruenta
Bella, confringens validos & arcus,
Missilesq; hastas, celeres quadrigas
Concremat igne.

O pij firmis animis, quietâ
Mente perdurate, mihiq; soli
Fidite, & cognoscite me IEHOVAM
Cunctipotentem.

En (ait Rex ille opifexq; rerum)
Me colent gentes, mea laus celebri
Gloriâ in cunctis populis per orbem
Clara vigebit.

Nos DEVS curat, fouet ac tuetur
Atq; nobiscum manet & manebit

Ille, qui spes ante fuit Iacobo
Vna salutis.

PSALM. XLVII.

Omnes gentes plaudite.

INcolæ terræ omniparentis omnes,
Iam pias puraſq́, leuate palmas,
Vocibus iunctusq́, DEO canoros
Edite plausus.
Nam DEVS regnatur Olympi, & vnus
Omnium Rex summus in orbe Regum
Quem colunt terrâ geniti domo sub
Solis vtraq́;
Dirigens nutu proprio gubernat
Cuncta, compeſcitq́, manu potente,
Quæ videt regna imperioſo iniquè
Turgida faſtu.
Hic facit nobis populos ſuperbos
Subditos, parêre iubetq́, gentes
Inclytas, noſtris pedibus ſubactas,
Iuſtus vt vltor.
Imò & hæredes voluit beati
Nos ſui regni fieri, Iacobo
Vnde dilecto ſibi ſempiterna
Gloria venit.
Prævio ſublimia templa ſcandit
Claſſico lætum, Dominus, canente,
Plauſibus quem gratificis piorum
Turba celebrat.

Iubilans cum voce tubæ sonacis
Celsa per nubes vehitur sub astra,
In sinum vt patris redeat supremi
Lætus ouansq;

Voce nunc cantate Deo sonora
Carmina, & præconia digna laudum
Ferte, psallentes celebrate Regem
Dulcibus hymnis.

Rex enim noster DEVS est, & idem
Maximus Regum dominatur orbi
Arduo solus; sapiente voce
Pangite carmen

Ergò huic lætum, sua qui tenebit
Regna victrici, sine fine, dextrâ;
Hunc pijs extollite ad alta cœli
Laudibus astra.

Qui DEVS celso residens olympo,
AEneo gentes rigidas cõercet
Vinculo legum, imperijq; sceptro
Dirigit aquo.

Quin adhùc passim populi potentes
Vltrò concurrunt, Dominumq; adorant,
Quem pater vera pietate Abramus
Antè colebat.

Nam DEVS summos superat Dynastas
Altior cunctis, proceresq; terræ;
Qui solum cœlumq; suo gubernat
Numine solus.

PSALM. XLVIII.

Magnus

M agnus Dominus & laudabilis.

MAgnus excelsusq; DEVS, celebri
Laude tollendus super astra cœli est
Hic vbi est vrbs sancta Dei & Sionis
Ardua rupes.

Totius quæ sunt decus orbis, vnum
Atq; solamen, iacet hîc ad Arctον
Vrbs vbi magni per amœna rura
Inclyta Regis;

Cuius in celsis DEVS est palatis
Notus & præsens, vt eam potente
Dexterâ vindex foueat, suoq;
Numine seruet.

Nam licet denso cõiêre Reges
Agmine hanc contrà, potuêre iunctis
Copijs nunquàm tamen atq; castris
Præualuisse.

Vrbe, sed custode Deo, relictâ
Integrâ transire fuêre visi:
Nempè mirati Domini potentis
Facta stupenda.

Quin & ipsorum stupor ossa tristis
Perculit, cessêre simul retrorsùm;
Instar, & sensêre graues dolores,
Parturientis.

Tu DEVS confringis in æquore alto
Bellicas naues, vbi sœuit Eurus
Nimbifer, spumansq; iacit tumentes
Littus in vndas.

Facta quæ patres retulêre paruis
Filijs olim, cupidisq; nosmet
Auribus percepimus; in sacratâ
Vidimus vrbe.
Vrbe cui semper DEVS ipse fidus
Excubat custos; eademq; porrò
Posteris posti nos resonentur omnè
Tempore nostris.
O parens rerum tua sancta duris
Numina in rebus miseri precamur
Da tua vt nobis liceat perennè
Visere templa;
Vota perq; aras pia continenter
Sol vere ardentes; tua laus in oris
Vltimis terræ vt celebretur atq;
Nobile nomen.
Gestiant colles patuli Zionis
Gaudio, exultetq; propago Iudæ
Lata; quod iusto scelerum reatus
Verbere plectis.
O pij cœtus hilares Zionem
Cingite, & celsas numerate turres
Illius, murisq; palatijsq;
Reddite honorem
Pristinum, vt gratum fluat inde carmen
Posterorum ad secula longa durans,
Dum polo fulgentia tot sereno
Sydera lucent.
Fama decantet Dominum perenni
Laude, nobiscum maneat quòd idem

Ille qui noſter DEVS eſt in omni
Tempore ſolus.
Conſcius finis ſibi qui nec ortus,
Molliter planeq; animo paterno
Nos fouet ſicut teneram iuuentam
Atq; gubernat.

PSALM. XLIX.

Audite hæc omnes gentes.

Hûc adeſte omnes populi frequentes,
Axe qui ſolis ſub vtroq; magni
Degitis, prouas adhibete & aures
Obſecro cuncti;
Pauperes ſeu plebe ſati miſellâ,
Diuites, ſeu nobilitate clari,
Nemine excepto, mihi commodate
Iam precor aures:
Eloquar nam verba profecta pleno
E penu cordis ſapientis, altâ
Qua mihi multum meditata mente
Antè fuerunt.
Verſibus iam pandere lingua geſtit
Abdita orâclis pia ſcita pridem
Qua decent plectrum Cithara ſonorum
Suaue ſonantis.
Fata cur triſtis timeam ſeuera!
Si dies me forte mali manebunt,
Aut mihi inſonti mala fabricabunt
Multa ſceleſti.

Qui suis fidunt nimiùm superbè
Diuites gemmis opibusq; & auro;
Credere his audent fore seq; tutos
Atq; beatos.

O nimis stulti, pretionè frater
Quis suum fratrem redimet rapaci
Morte, placabitúe DEVM ferendo
Splendida dona?

Ah nimis res magna animæ salus est,
Quam potest nemo pretio parare
Aut labore vllo; licet hîc supersit
Nestoris annos.

Et die dentur bona cuncta in vno
Dum fauet fortuna potens, nepotes
Nec sibi viuo videat sepulchra
Mœsta parari.

Lance mors æquâ fatuos & hosce,
Quos putes forsan sapientiores,
Pendit; hinc vitæ manet hos & illos
Exitus idem.

Quin & hæredis rapiunt auarè
Hæc manus, quæ parta labore multo
Tot fuêre annis bona, sed refertur
Gratia rara.

Et tamen contingere nulla maior
Talibus (res mira) potest voluptas;
Quàm domos augere genusq; auitum
Amplificare.

Hincq; se nomenq; suum superbè
Efferunt, illustris honore famæ

Sic vt euadant celebres, superſunt
Donec in orbe.
Sint modò quamuis aliquid, nihil ſunt
Mox tamen, quâm puluis & vmbra; cuncti
More brutorum quia vi peribunt
Mortis acerba.
Quicquid inceptant agitantq; ſtultum eſt,
Poſteri quamuis ſapiens & æquum
Id putent, latis pariterq; laudent
Plauſibus omnes,
Conditos atri latebris ſepulchri
Dira depaſcit laniatq; dente
Mors fero; imbelles teneroſq; ſœuus
Ceu lupus agnos.
Turba ſed recti ſtudioſa tandem,
Lucis in ſplendore ſedebit alma,
Impiâ de gente & aget perennes
Læta triumphos:
Cum decus, roburq; grauis ſenectus
Auſſeret, tectiq; loco patentis,
Styx ſub inferni ſcrobe largietur
Atra receptum.
Sed DEVS tetro barathri remiſſum
De ſpecu me ſuſcipiet benignus,
Fata poſtq; exhauſta ſinet videre
Cœlica regna.
Tunc & abſterget lachrymas amicis
Ipſemet dictis madidas ab ore,
Et mihi rursùs tribuet beatæ
Gaudia vitæ.

Videris si fortè aliquem repentè
Diuitem euasisse opibus, potentem
Gloriâ, & clarum titulis, caueto
Ne moueare.

Nil enim secum feret hinc sub vmbras
Copiâ, de diuite tot bonorum,
Vlla humo tectum putre nec sequetur
Gloria corpus.

Dum frui vitæ licuit caducæ
Huius vsurâ, genio dedit se
Molliter curans sua sumptuoso
Viscera luxu.

Quæ licet morum ratio probata
Sit minùs; laudant tamen hanc eandem
Posteri, & sectarier haud verentur
Tramite vitæ.

Turpe nil famæq; putant cupido
Dira quod suadet, modò si quiete,
Paululùm oblectent, genio placente,
Semet inerti.

Sic patrum mores reprobos probantes,
Corporis compage malâ soluti
Morte, descendunt ad eos sub vmbras
Flebilis Orci.

Nulla vbi lux conspicietur vnquàm,
Horridæ at semper tenebræ manebunt
Ac dolor tristis sine fine durans
Omne per æuum.

Hæc cape in summâ: sit honore præstans
Quis licet magno, eximiâ celebris

Laude;

Laude; ni rectrix ratio gubernet
Optima mentem:
Corpore est bruto similis, carenti
Pectore, & post fata suprema nil est;
Quippè decessit rationis expers,
More ferarum.

PSALM. L.

DEVS Deorum Dominus.

IS DEVS, qui maximus est & idem
Optimus, qui cuncta gubernat vnus,
Non modò qua terra sinu profundo
Consouet alma:
Sed polo quacunq; patent aperto
Libera, & cuius sine fine virtus
Durat, ac latè vel in vniuerso.
Cernitur orbe.
Iudicl praeses dedit obuia aurat
Dicta per puras, validaq; voce
Ius in arctum terrigenas vocauit,
Quotquot oberrant
Regiâ Solis sub vtraq; ab ortu
Vsq; ad occasum: radijs IEHOVAH
Splendidis fulgens speculatur alto è
Monte Zionis.
Nempè ad accitos veneranda coetus
Ora cum facunda resoluit, aquî
Ille quaesitor DEVS atq; verum
Arbiter vnus.

Quâ mouet se cunq; cremabit ipsum
Antè, depascens citò cuncta flamma,
Eminusq; hinc consp̃icietur acri
Turbine cinctus.

E suo cœlum solio solumq;
Prouocat testes, populis per orbem
Iura quando est æqua daturus, vno
Fœdere iunctis.

Iam mihi, dicet, propriè dicatam
Cogite hûc gentem; mea pacta curet,
Qua magis, quàm thure litata sacra
More recepto.

Quin & æther iustitiam sonabit
Illius; iudex siquidem IEHOVAH,
Fas nefasq; examine pensat æquo,
Iustus & æquus.

O mihi gens cara, loquentis audi
Verba, te Israël DEVS ipse, testem
Quæ is voco, fidus tibi quòd patronus
sim DEVS idem.

Non ego ob raras, minùs aut opimas
Victimas te culpo, holocausta sacris
Qua cremas flammis, mihi ritè quòd sint
Cognita semper.

De domo non posco tuâ iuuencos,
Nec peto è caulis vitulos vel hados:
Nam meum est quodcunq; parit fragosa
Sylua ferarum.

Omne quod montes q; pecus pererrat
Arduos, & mille gregum caterua;

Quin aues cognoui etiam quot altum
AEthera tranent.
Quadrupes campi neq; me latebit
Seu comam depascitur, atq; stillat
Nectar extento vbere dulce, præstat
Seu nihil vsus;
Sed nocet mortalibus, è latebris
Cùm canis iam prosiliens acerba
Et famis planè impatiens, rapit quod
Deuorat omne.
Si fames me dura premat, rogare
Num dapes te, queis satier necesse est:
Te nè compellem stomachi tibiq;
Vota recludam?
Scilicet sic conueniens parenti est
Omnium, quæ terra capit poluſq;,
Cuius & stant sub pedibus iacentq;
Omnia solis.
An putas fortè esuriens nè vescar
Carne taurorum; sitiens bibam nè
Pocula hircorum è iugulo fluentis
Plena cruoris?
Nil Deo grates nisi redde supplex
Debitas, laudis meritaq; dona
Offer, & sic sacrificans rependes
Vota supremo.
Rebus in duris precibus vocato
Me tuis, dextro tibi adesse præsens
Numine vt possim, & releuare mitis
Tristia fata.

Tu ma-

Tu malis ereptus agasq; grates,
Par vt est, dignas mihi, me celebrans
Laudibus nomenq; meum per alta
Sidera tollens.

Ast rudem prorsùs pietate, factis
Menteq; & verbis nimis heu dolosum,
Sic DEVS compellat, & ipse terret
Voce tremendâ:

Fronte quâ passim memoras statuta
Tu mea? & cur impie fœdus effers
Tu meum, leges recitans, profano
Ore, sacratas?

Cùm bonis sis moribus acer hostis
Imò iuratus; mea dicta cures
Nilq;, sed risu excipias monentem
AEqua & honesta:

Quippè te natura regit magis, quàm
Iura; qui, quod voce probas, negare
Mente mox audes, rationis expers
Atq; pudoris.

Viuere ex raptis, quia suetus, vtrò
Furibus cum fœdera amica iungis
Quin & es mœchis socius petulcis,
Spurcus adulter.

Os geris dictis petulans probrosis
In bonos, de te malè nil merentes,
A quibus non asperiore verbo
Læsus es vnquàm.

Heu mali te tanta libido cepit,
Vt probra in fratrem iacias sedendo

Nec tua nato genetricis alma
Crimine parcas.
Detrahis famæ maculamq; turpem
Huius aspergis grauibusq; dictis
Hunc premis, qui tecum vtero tumente e-
mersit eodem.
Dedecus quin gignis huic malignè,
Laude quem dignum celebrare fas est,
Virus occultum tibi quòd die sit
Nocteq; cordi.
Hæc patrans, me dissimulante iustam
Iram, & ob delicta graues morante
In diem pœnas, similem tui me
Fortè putabis;
Labe te moresq; tuos referre
Impios; sed falleris: ipse vindex
Tardior quò sum, grauiore tantò
Vindico pœnâ.
Feceris quodcunq; malum proteruè;
En ego iam flagitia ante vultum
Tot tuâ exponens tibi, iure summo
Flagito pœnas.
Quæso mortales animis in imis
Condite, & perpendite ritè cuncti
Talia, inprimisq; quibus IEHOVAE
Excidit omnis
Fama iampridem, & pietatis alma
Cura virtutis, reliquas alentis,
Ipsa quas inse pariter vel vna
Continet omnes.

Vos palàm prauos reuoco monendo
In viam vitæ, rapiam ne in iræ
Vos, & ad lethum exitiale tractos,
Nemo reducat.
Qui facit supplex pia vota, laudes
Et cánit. grates mihi fertq; dignas,
Is fide non thure litat, nec extis
Numina placat;
Mente sed sanctâ, pietate plenâ
Sicq; me nomenq; meum celebrans,
Auferet tandem sibi destinata
Præmia honoris
Quo satis certè est mea culta semper
Gloria: hæc est semita quippè ducens
Ad polum; vita est vbi finis expers
Nempè beata.

PSALM. LI

Pœnitentialium quartus.

Miserere mei Deus.

AH DEVS iam parce precor misello
Quando te clementia summa flectit,
Te Deum summum; scelerum reatus
Tolle liturâ.
Quæ licet sint magna satis; tuorum
Viscerum est maior tamen efficax vis,
Quâ meam tu rite potes nefandam ab-
stergere labem.
Ergò me purgare magis magisq;
Perge peccati maculis pudendis;

Fac mihi reddas animum maligno
Crimine purum.
Nam mea haud me noxa latet, mihi quin
Ante se mentis faciem pererrans
Exhibet semper, sub imagine atrâ
Imò cruentâ.
Labe te valdè, pudet heu, probrosâ
Vnicum offendi; (fateor pigetq;)
Te modò præsente malum scelestus
Turpe patraui,
Arbiter ceu vnus es atq; verax
Testis, vt vincas tua iudicantùm
Facta, sermones nimiùm proteruos
Atq; refutes.
Iudicem quos te potiùs, mouendo
Calculo haud vnquàm, decuit probare
Gratia & pœna ratione iustum
Sicut & æquum.
En rudi massâ, genitali in aluo
Insitâ, sum fictus, & ipsa mater
Semine immundo calefacta ventrem
Languida fouit
Membra, sic traxit, simul venenum
Stirpe de primâ, penetrans medullas,
Ossa & erodens sine fine toto
Tempore vitæ.
Sed tibi dum vera mali latentis
Abditis in venibus, ipse apertam
Profero in lucem, indicia è tenebris
Sponte profundis:

Tu mihi mysteria sacra verbi
Detegis rursùs, sapientiamq;
Me doces, quæ dissita longè ab omni
Est ratione.

Sparge me hyssopi, sator alme, sancto
Rore, quo tersa illuuies recedat,
Fac niuem possim benè membra lotus
Vincere puram.

Læta tu concede meis benignè
Auribus iam nuncia, te premente,
Ossa contrita arripiant alacri
Gaudia plausu.

Fer tuum hinc à labe meâ minacem
Obsecro vultum DEVS, & reconde:
Et notas vnà scelerum simùl de-
leto liturâ.

Cor nouum purumq; mihi creabis
O DEVS, fac Spiritus ille recti
Se tenax aulæ insinuet nouatæ
Cordis, & indat

Ossibus se inmis, mâneatq; firmus;
Erigat solamine recreetq;
Territam mentem, & releuans iacentem
Robore firmet.

A tuâ prorsùs facie misellum
Clade in hac ne pelle precor; bonorum
Spiritus fotor sine nec recedens
Destituat me.

Ah refer menti noua gaudia ægræ,
Per fidem Nati, solidæ salutis;

Meq; conformi tibi quæso motu in-
flecte volentem.
Tunc ego verâ ratione prauos
In vias, quas ipse doces, reductos
Instruam vt gressum reuocent priorem
Ad tua iussa.
Mi DEVS, de sanguinei reatus
Solue me pœnis tragicis, Redemtor
Magne, qui certam potes vnus ægro
Ferre salutem.
Labra mi laxis aperito fibris,
Ius tuum cantet mea lingua vt æquum,
Os meum laudesq; tuas celebret
Voce sonorâ.
Si boum te victima cœsa pinguis
Fortè placaret, fueram daturus
Victimam talem, solitoq; more
Ritè litássem:
Sed tibi non exta placent crémanda,
Hostiam non igne sacro perustam
Expetis, nec thure dato tibi vlla
Sacra probantur.
Victima est mens grata Deo, dolore
Fracta, contritum & mala cor perosum,
Non soles spreuisse DEVS vel vllâ
Conditione.
Ergo sis mitis, solitâ Zionem
Et foue sanctam bonitate, muros
Eaq; præcelsos solimæ iacentis
Erige rursùm.

Sacra tunc tu iusta probabis alma
Qua fides offert tibi, & exta ab igne
Vsta, complebitq; tuas iuuencus
Pinguior aras.

PSALM. LII.

Quid gloriaris in malitiâ,

CVr furis crudeliter ô Tyranne
Trux dolo, vi, fraude alijs nocendo?
Ausibus prauis reprobisq; factis
Te malè iactas.
An putas non cernere perspicaci
Lumine iratum placidumq; numen.
Vindicans prauos simùl asserensq;
Crimine puros.
Hos fouet clemens Dominus iuuatq;
Semper, his se gratia diua profert;
Singulis qua certa manebit horis
Atq; diebus.
Et dolos fingit tua lingua semper.
Et procax fert perniciem, seritq;
Queis secat, mendacia, tersa sicut
Cote nouâcla.
Te iuuant plus prana bonis, tibiq;
Est nefas cordi magis ac honestum
Falsa suppressis memorasq; veris
Ore proterno.
Ergò te pessundabit ira FORTIS,
Et procùl te sedibus ex auitis

Pellet

Pellet eiectum, teneat tui iam
Vt nihil vsquàm
Amplius vivum foueatué terra:
Tàm grauem iusti subitò videntes
Dexteram IOVAE, sibimet timebunt,
Numen & almum
Supplici cultu afficient; amaro
Digna sed ducent tua fata risu,
Et tui vrgentes pede forsan atra
Busta sepulchri,
Ingruent, en hic iacet ille, numen
Cui fuit vanum inualidumq; nomen;
Spes cui in gazis sua erat reposita in
Fraude potestas,
Ast ego, ceu frondet oliua semper,
Et gerit fructus; Domini manebo
Sub mei tectis ita sospes ipse,
Frugifer idem.
In Dei spes namq; mihi resedit
Gratiá tantùm; mihi nulla in æuum
Quam potest delere dies, ruat si
Arduus æther.
Efferam te laudibus ergò gratus,
Te canam iustum, celebrabo & æquum,
Dum mihi Parca modò longa nectent
Tempora vitæ.
Spes tui me nominis alma nutrit,
Vnicá hac fretus, mala cuncta vitæ
Perferam, in cœtuq; manens piorum,
Tristia fata

Ipse solabor mea, tu dabis q̃
(Præditus cum sis bonitate largâ)
Promptus optatum auxilium, dedisti vt
Spem, Deus, antè.

PSALM. LIII.

Dixit insipiens in corde suo.

IActitent quamvis fatui superbo
Maximum se credere numen ore,
Cuius â nutu arbitrioq̃ totus
Pendeat orbis:
Abnegant id corde tamen maligno
Perfidi, factisq̃ suis nefandis
Se palàm produnt reprobos, profanis
Sacraq̃ miscent;
Id quod execrabile semper ante
Est DEVM; imò est grande Deo piaculum,
A viâ recti procùl, atq̃ sanâ
Mente remotum.
Ipse prospexit DEVS è beatis
Sedibus, si fortè videret vnum
Filios inter miserandi Adami,
Pectore prudens
Qui foret, curaq̃ Deum sagaci
Quæreret, cultusq̃ pios obiret
Ritè, virtutem cuperet vel ipsam ex-
tendere factis.
Integer sed nemo fuit repertus,
Cogniti eheu sunt pariter scelesti

Corde nec recto benè fecit è tot
Millibus vnus.

Ergò iam tandemné maligna turba
Audiet rectis monitis, ferisq;
Abstinens factis populo misello
Postmodò parcet.

Quem vorant pro panibus, vt saginent
Inguina & ventrem, immemores supremi
Numinis, cuius metuunt nec iram,
Nec prece poscunt

Supplici clementiam ibi timentes,
Nulla vbi est prorsùs ratio timoris,
Conscius, quod pectora semper horror
Impia vexet.

Ossa dispergat subitò IEHOVAH,
Impios aususq; retundet ipse,
Turpibus vultus maculis notabit
Vltor & idem

Hostium; contemnit & horret omnes,
Qui suis fidunt meritis, superna
Cœlitûm & virtute student suâ con-
scendere regna.

Ah ferat tandem Dominus Zionis
Arce de celsa placidam salutem,
Liberet gentemq; suam benignus
Carcere diro,

Læta quò pax excipiat nepotes
Isaci, & stirps ampla Iacobi honore

Gaudeat, per ſecula cuncta, ſummo
Numini amica.

PSALM. LIIII.

Deus in nomine tuo ſaluum me fac.

O Parens rerum mihi fer ſalutem,
Per tuum nomen: truculento ab hoſte
Libera virtute tuâ potenter
Robore caſſum.
Da meis aurem precibus benignam,
Mi DEVS, quas pectore fundo ab imo,
Ore quas pleno referoq; voces
Excipe mitis.
Irruunt hoſtes nimiùm ſuperbi,
Et meam telis animam cruentis
Impetunt, nec fama tonantis alti
Reprimit illos.
Sed mihi præſens aderit IEHOVAH,
Ac opem promptus feret in periclis
Vltimis, fidus meus ille cuſtos,
Præſidiumq;.
Mens graues triſtis mea pelle curas,
Suſtine paulùm modò te, tenaci
Speq; nitaris, fugà mox malorum
Certa ſequetur.
Tunc Deo ſacris pia ſponte in aris
Munera imponam, celebrabo laude
Illius nomenq; bonum decorâ.
Tempore iuſto.

Nomen illustre est meritis quod, atq;
Laudibus celsa usq; ferendum ad astra:
Nempè solatur miseros, & agros
Robore firmat.
Tu DEVS protector eris relicto,
Omnibus meq; eripies periclis,
Destrues hostesq; meos potenter
Maximus vltor.
Inq; res tandem solidas locabis
Me, malá è sorte: & facies videre
Impios quid manserit, hisce iusti
Premijs, ocellis.

PSALM. LV.

Exaudi Deus orationem meam.

SOrte dum pressus iaceo maligná,
Rebus è duris releuante nullo;
Non nisi votis studeo supremum
Flectere numen.
Ergò cœlestis pater esto clemens,
Admoueq; aurem facilem precanti,
Fletibus nec quæso meis serenum
Contege vultum.
Ah meis attende bonus querelis,
Atq; respondens mihi iam probato,
Triste, te sentire, venit quod imò è
Pectore murmur.
Dum minas tollit ferus hostis, in me
Impius, cœcoq; furore sæuit.

Et mei turgent odio nefando
Improba turba:
Cor meum sese excruciat dolore
Intùs, & præsente metu labascit
Mortis, & totos foris asper horror
Concutit artus.
Sorte in hac durâ, mea sic locuta est
Sapiùs mens: ô vtinam quis alas
Det mihi, queis vtitur æthra tranans
Chaônis ales.
Hinc vt emigrem celeri volatu,
Et queam sedem reperire certam,
En procùl tractus peterem remotos
Vsq; in eremum.
Protinùs contenderem iter per asprùm
Dissitum longeq;, modò in salutem
Vt meam tutus fugerem imminente
Furbine sæuo.
Disjce in diuersaq; scinde cœtum
Improbum sensa, & malè perde linguas
Noxias, qua probra seruit, grauantes
Litibus vrbem.
Sustulit contentio dira pacem.
Obsident noctuq; diuq; fraudes
Mœnia, indignè cumulata vexant
Damnaq; ciues.
Si palàm probris cruciaret hostis
Me malis vrgens, patienter illa
Forsitan perferre queam, simulq;
Quicquid acerbi est

Crimi-

Criminis, famam peteret meam quo
Oſor indigne meus ille iniquus;
In fugam & me coïciens laterem in
Antra remota.
Tu ſed es tanto mihi qui ſodalis
Tempore, & tutor meus, & magiſter
Conſiliq; autor, mihi iunctus vno
Officioq;:
Cui fuit conferre tacenda dulce
Verba; quiè verſati & in ade ſacra
Tot ſumus ciues pariter per annos,
Participesq;
Vnius menſæ; quibus vna erat mens
Antea, & concordia dulcis ambos
Inter, vt fratrum, ſtabilita longi
Temporis vſu:
Ipſe tu nunc deſeris heu doloſè
Me fidem contra, officium improbeq;
Negligis, nullâ ratione motus
Recti & honeſti.
Iuris aſſertor DEVS, autor æqui
Atq; ſeruator, rapies ne tales
Morte feſtina, faciesq; viuos
Scandere ad Orcum?
Cum domo totâ ſocyſq; culpæ,
Quos rapit cœcus furor ad nefanda
Facta, quos, rectâ ratione ſpretâ,
Reproba ducit.
Aſt ego infractus faciam ſupremo
Numini ſupplex pia vota; dextrum

Et loco res post meliore ponet
Numen acerbas.
Siue sol demat iuga, siue iungat
Idem equos, orbem mediumue scandat;
Quæstibus miscebo preces, profectas
Pectore anhelo.
Et mihi lenem facilemq; pronus
Admouens aurem, meliora votis
Feruidè oranti tribuet supremus
Rector olympi.
Ipse custodit, redimit, tuetur
Hanc mihi vitam, incolumemq; seruat,
Hostium quamuis petulans caterua
Me sit adorta.
Scilicet qui regnat vbiq; IOVAH
Solus, ac esti temporis omnis exors,
Vult meis magnum assiduis querelis
Pondus inesse.
Sed premens durus subigit superbos,
Mens quibus peruersa manet. DEVM q;
Qui colunt nunquàm, metuunt nihilq;
Illius iram.
Et manu ledunt violentâ amantes
Pacis, omninò immemores sacrati
Fœderis, quod mente malâ profanant
Absq; pudore.
Instar os blandum simulant, butyri
Dulcis, occultè sed alunt cruenta
Bella, quæ spirant inimica Martî
Corda dicata.

Lenibus verbis superant vel ipsum
Balsamum, sed sunt gladij furentes,
Talia infligunt quibus imparatis
Vulnera cœca.

Sed pio tu corde quiesce, mittens
Lachrymas, curamq; tuam in IEHOVAH
Reijce, is te diriget ac fouebit
Numine dextro.

Et tibi res difficiles leuabit
Sorte diuinâ: nec enim relinquet
Integrum vitæ, aut finet ægra semper
Fluctuet vt mens.

Dexterâ sed vindice tu seuerus
Vltor, autores scelerum repelles,
Ad specus hos præcipitesq; trudes
Ipse profundas.

Cade pollutis simul ac dolosis,
Assequi vitæ medium negatur,
Mors quibus rumpet citæ fila in ipso
Flore iuuentæ.

Sed mihi in virtute tuâ recumbit
Firma spes, tu consule fac saluti
Iam DEVS nostræ: tibi namq; toto
Pectore fido.

PSALM. LVI

Miserere mei Deus, quoniam.

AH DEVS vultu miserum benignus
Aspice, ex ægroq; dolore sensum

Percipe, vt me cura leuet paterna
Hisce periclis.
Namq; mortalis petulanter in me
Sæuit insontem rabie procaci,
Prorumpitq; in me assiduè furenter
Barbarus hostis.
Insolens heu validusq; in armis
Imminet semper, furit, vrget hostis,
Nil ab insultu spacij relinquens
Nocte dieue.
Hinc metu quamuis paueam & timore
Anxio vexer; mihi spes salutis
In tuâ virtute tamen potente
Fixa resedit.
Protulit quæ verba DEVS sacrato
Ore, quòd vera & rata sint, celebri
Laude cantabo; columen salutis
Spesq; manebit
Semper ille vnus mihi, sospes vno
Hoc ero custode, timoris expers:
Num caro mi quid nocent caduca &
Putrida massa?
Candido quæ profero ab ore dicta,
Improbè in partem rapiunt sinistram
Impij, & carpunt, referunt; q; rursum
Nequiter illa.
Sunt in hoc toti, meditantur vnum
Hoc, malâ noctesq; diesq; mente,
Vt parent fraudem mihi, meq; amico
Lumine priuent.

Spes vt est illis animæ petendæ
Huius insontis, moueam feramue
Parte quâ calces: mala sic coactis
Insidijs me

Lumine obseruat scelerato acuto
Turba, ferre impunè nefas putare
Ausa, quod censura sua id remittat,
Ceu leue prorsus.

Sed DEVS, qui cernit vt vltor acris
Cuncta, mox tristem dabit in ruinam
Hos, licet sint innumeri & coacti
Agminis instar.

Cùm, pater, constet fuga nostra pridem
Iam tibi, quæso numeres querelas
Flebiles has vtre tuo repostas
Et rationum.

Anteâ certis tabulis notatas;
Semper in promtu vt tibi sint, ibique
Condita, delere potest vbi non
Vlla litura.

Nam mihi lenis facilem vocanti
Applicas aurem, patrioq; more
Ipse diuini mihi certa ponis
Signa fauoris.

Hinc ego cantabo Dei celebri
Voce sermones Dominiq; iussa
Mente seruabo memori, feramq;
Munera laudum.

Grata ei; sola pietate fretus
Illius, nil corde minas pusillo

Improboſuè auſus hominus proterui aut
Arma timebo.
In DEO nam ſpes mea fida ſemper
Permanens vno, iubet abſtinere
Me metu omni terrigenûm, licet ſint
Robore fortes.
Antè, quæ feci DEVS alme vota,
Iam tibi grata modò mente reddam,
Ac tibi, qua debeo, digna laudum
Præmia ſoluam:
Hanc enim tu morte animam, Redemptor
Sancte, crudeli rapuiſti, & idem
Hos potes firmare pedes, labaſcant
Ne tibi uentuè:
Nempè ſubiectâ facilis ruinam
Tu manu forti prohibebis omnem,
Luce deſertum ſtatuesq; in almam
Poſtmodò lucem.
Inter vt viuos, bone rector orbis,
Te colam, cantem, venerer q; ſolum,
Donec hos feruens reget ac fouebit
Spiritus artus.

PSALM. LVII.

Miſerere mei Deus, miſerere.

OPtime ô rerum ſator, ora ſupplex
Iam mihi præſens miſeratus adſis;
Ah mei clemens miſerere tandem,
Atq; fauore

Me tuo dignere; malis profundis
Obrutum seruato, meæ dolore
Eq; contritæ cape mentis acrem
Ipse dolorem.
Nam tibi tristis meæ fidit vni
Mens, meæ qui spes columenq; vitæ
Solus es, votis cupidis salutem
Te rogat vnum.
Sub tuis alisq; manens amicum
Obtinet tegmen, procùl omne cedat
Dum malum, & tu mitior hinc pericla
Cuncta repellas.
Supplice imploro prece numen altum,
Vnde solamen mihi dulce venit:
Quin meo imponet DEVS ipse finem
Sponte dolori.
E poli celsâ mihi opem mittat
Arce, crudelis manibus Tyranni
Liberans pressum, & mala dura multo
Tempore passum.
Largæ de cœlo DEVS ipse mittet
Munera, ostendens ratione mirâ,
Quòd sit & seruans fidei & simùl cle-
mentiâ abundans.
Heù iacens inter medios leones
Angor, & versans homines ab irâ
Percitos inter, furijs & actos.
Opprimor ager.
Qui fremunt ac dira mouent, remordent
Dentibus, sibilis velut & sagittis,

Qui bonos ſcindunt gladyq; linguâ
More vibrantis
Iam caput fac exere celſo olympo,
O DEVS, compeſce nefas & omne,
Explicet tandem tua ſe per orbem
Gloria totum.

Clam meis ponunt pedibus ſceleſti
Retia & fundas, animam meamq;,
Fraude, vi preſſam, cupiunt acerbâ
More peremtam,
Omne iter, quodcunq; mihi terendum eſt,
Obſident foſſis ſcrobibus, ruent ſed
In ſcrobes ipſi, mihi quas maligná
Arte parârunt.

Mens mea exultat, DEVS, en parata eſt
Vt tibi pſallam fidibus canoris,
Efferam te laudibus, & celebrem
Carmine grato
Eia age exſurgas decus omne noſtrum,
Tuq; iam laxos lyra tende neruos,
Et nouas ô vos mea Nabla iam re-
ſumite vires.

Lingua, ſi tractare tibi perita
Forſitan cantus fuerit facultas,
Hanc pias fac protinus in IEHOVAE
Exere laudes.

Me ſuo non Lucifer ipſus ortu
Manè prauertet, pater alme laudes
Quin tuas coram populis ſonorâ
Voce celebrem.

Concio quæ se pia cunq; circum
Fundet. exponam tua facta dictis;
Te canens gratus resonabo semper
Dulcibus hymnis.

Nam tua excedit bonitas per ampla
Tecta cœlorum, tua veritasq;
Nubium tractus penetrans adæquat
Æthera magnum.

Ergo conscendas super alta cœli
ODEVS fastigia, numinisq;
Vim tui ostendas populis decusq;
Omne superbis.

Fac tua se gloria magna fama
Exerens cœlo, impleat orbis oras
Totius cunctas, tua laus perenne
Floreat ævum.

PSALM. LVIII.

Si verè vtiq; iusticiam loquimini.

CVr ita obmutescitis? annè vestrum est
Ius dare, & cognoscere vitè causas
In forum adductas, trutinaq; ad æquam
Pendere lancem?

Vos ego appello proceres ab omni
Plebe delectos, pudor an timorné
Vos tenet? quò recta minus palàm re-
ferre velitis.

Fraude, vi, quicquid libitum est, patratis
Passim in hac terrâ, officiumq; lancis

Ad malas tantùm petulanter heu con-
uertitis artes.
Quin nefas uersatum animo sub auras
Dextera audaciter violenta profert,
Et fidem rectam & sibi corda contra
Conscia praui.
Impijs concreta lues in aiuo est
Matris, à primisq; sequuntur annis
Semitas pranas scelerum, & proteruè
Vana loquuntur.
Quin ferunt suffragia falsa causis,
Iusq; peruertunt, ueniaq; dignos
Improbos censent, grauiter prementes
Culpâ alienos.
Virus illorum furor, aquat anguis:
Ne loci quicquam monitis relinquant.
Occultunt aures, uelut aurem utramq;
Vipera claudit.
(Nempè humi prostrata iacens in unâ,
Alteram sed tecta nocente caudâ.)
Nil Magos audire valens, licet sint
Arte periti.
Tu sed his dentes DEVS ore tolle,
Contere extantesq; potens molares,
Queis fremunt sicut catuli leonum
Prada inhiantes.
Diffluant omnes subitò, instar unda
Qua fluit prater: fera spicula neruis,
Iam quidem imponunt; medio in uolatu
Excidet omnis

Vis sed incassum feriendi, & arcus
Ipse confractus cadet è cruentâ
Dexterâ, exhaustis operum in tenore
Et calor artus
Deseret; sensim velutī liquescit,
Viribus limax fluidis; abortus
Fœmina vt squallens perit ante clari
Luminis vsum.
Antequàm se spina superba flore
Exserat, latè stimulisq; acutis
Brachia extendat rapidâ auferetur
Impius irâ.
Ac pius lætabitur vltione
Haccè diuinâ, inficiet maligni
Et suos in cœde pedes cruento ab
Hoste patratâ
Hùc homo vertens oculos, resoluet
Ora sic: en præmia digna iustos,
Debitas pœnasq; malos manere
Iam DEVS vltor
Ipse testatur, spatioso in orbe
Iudicans causas hominum; proinde
Quisquis es passus mala dura, fortis
Vince ferendo.

PSALM. LIX.

Eripe me de inimicis meis Deus.

REctor ô cœli, DEVS, oro ab hoste
Asserе imbellem rabido, tuere

Me, resistentes mihi, contrà, adegit
Praua voluntas
Quos & ad quoduis scelus vrget atrox
Semper; ah me libera ab his, cruorem
Fundere insontem quibus est & vna &
Summa voluptas.
En mea tendunt animæ dolosa
Retia, & fortes coëunt superbè,
Viribus iunctis, malè nil merentis
In caput omnes.
Arma me contrà capiunt, vbi nil
Est datum causæ maleferiatis:
Namq; ego culpâ vaco, sumq; praui
Criminis expers.
Cœlitûm fortissime dux & idem
Maxime, Isaci sobolisq; fautor
Optime, expergiscere, surge tandem &
Affice pœnâ
Impias gentes meritâ, benigno
Sed pios dignere fauore semper,
Nec (licet clemens alias pater sis)
Parce maligno:
Quem tenet praui studijs libido
Cœca, qui patrare scelus profanum
Pergit audaciter, nec habet regressum à
Fraude nefandâ
Si minus fauit sceleri patrando
Ipsa lux Phœbeia, nocte anheli
Ceu canes currunt vlulantq; vicos
Vrbis in omnes.

Et palàm dant in medium voluta
Iam diu sub pectore verba prauo,
In labris ensesq; gerunt acutos
Dira crepantes
Vulnera, ac impunè putant latere
Posse quas fugire nihil verentur
Impias planè stolidasq; voces
Ore proteruo.
Cœlitùm sed Rex DEVS improborum
Cœpta videbis, reprobasq; gentes
Ipse subsannabis, erunt tibiq;
Lusus amarus.
Viribus quanquàm valeant & armis
Bellicis, custode manebo saluus
Te tamen semper columen salutis
Qui mihi firmum es.
Ergò nil hostis metuo minacem
Vim, nec hoc multùm moueor, quod asprâ
Sorte sic pressus iacco, leuabit
Nam tua dextra
Me citò, & cunctis rapiet periclis;
Quin mihi occurrit tua spontè diues
Gratia, vt pœnis mea reproborum
Lumina pascam.
Non tuo perdes tamen in furore
Funditùs prauos pariter, vel vnâ
Luce, ne exemplum graue tam repentè
Mente piorum
Excidat. sed posteritas nepotum
Longa cognoscat memoretq; natis

Posti suis, hos ne capiat seuera ob-
liuio pœna.

Sedibus pulsos proprijs, in oras
Orbis extremas modò dissipato
Impios, vitæ genus vt molestum
Experiantur

Barbaros inter feritate gentes:
Tu DEVS noster clypee, è supremo
Trude hæc illos tenebras ad imas
Culmine lucis.

Proferunt quæcunq; suo superbo
Ore, nil sunt verba nisi profana,
Atq; defendunt tamen obstinatâ
Talia mente.

Dira mendaci probra noxiaq;
Prædicans gens ista serenusq; linguâ,
Addit occultæ impia prorsùs heu per-
iuria fraudi.

Talium noli miserere IOVAH
(Sis licet clemens aliàs benignusq;)
Ast eos omnes perime, vltimâq;
Erue stirpe.

Ampliùs ne extent habeantq; notum
Esse te virtute DEVM potentem
Ac in Israël, patuloq; in orbe
Frena tenere.

Oblatrent de nocte canes sagaces:
Vt solent, cursando petantq; nunc hæc
Illa nunc rursus loca, quando edendi
Vrserit ardor.

Vt cibos captent, rabiem furentem
Queis queant explere famemq́, crudam:
Et tamen non inueniant odorâ in-
dagine quicquàm;
Sed trahant noctem sine victu opacam
Expetito, pabula nulla nacti;
Asperâ præ clade loca impleantq́
Cuncta querelis.
Interim cantabo ego te potentem,
Efferens te manè bonum decente
Laude; nam tu præsidium salutis
Es mihi certum,
Dura cum fortuna premit misellum.
Ergò te psallam fidibus IEHOVAH,
Qui mihi es scutum, mea firma turris,
Tutum & asylon.

PSALM. LX.

Domine repulisti nos, & destruxisti.

O Parens rerum, Deus alme, dulci
Hinc procùl qui nos repulisti abactos
Patriâ, nostris vitijs flagrante
Percitus irâ.
Imò diruptos, grauiterq́, pressos
Heu malis duris truculento ab hoste,
Visus es dudum penitùs beato ex-
cludere cœlo:
Rursus ostendas placidum precamur
Te patrem nobis; miseros & agros

Fac bonus solere, salutis autor
Estoq; nostra,
Pro fide assuetâ veteriq; amore:
Terra conquassata tuo furore
Nutat; at rimas iterum illius com-
mitte labantis.
Tristia ac dura exhibuisti amica
Tu tua spectâcla videre genti;
Pôcla tu nobisq; dedisti amara, &
Plena tremoris.
Sed tuis olim tamen ipse signa
Gratia cultoribus erigebas,
Sub quibus possent animis quieti
Ducere vitam.
Ergò adhûc admitte preces, ab imo
Fundimus quas pectore, per salutem
Iam tuis, defende potenter omnes
Vindice dextrâ
Quos tuo dignaris amore, mortis
E manu dira rapias cruentâ
Nos, vt erepti tibi seruiamus,
Supplice cultu.
Quin preces iam pondus habere nostras,
Ipse testatur DEVS, è sacratâ
AEde, dans responsa pijs amica,
Irrita nunquàm;
Mente qua latâ & memori tenebo;
Partiaq; agros Sichima feraces.
Suchotis saltus dirimamq; amœnos
Limite iusto.

Quin nemus densum Gideadis, atq;
Manasse fortis celebrata latè
Mœnia ac turres, mea cum tremore
Iura subibunt.
Ephraim munimen erit meiq;
Verticis: princeps mihi Iuda, fato
Dextero cui cedere visa rerum est
Summa potestas.
Moab est ceu olla mihi lauacro
Apta, calcabo pedibusq; Idumen.
Me suum agnoscensq; Philista Regem
Inclyta plaudet.
Sed licet terras teneam vel vnus
Tot potens victor: tamen haud valere
Sceptra deprendo mea posse quicquàm,
Illa secundet
Ni DEVS, dux sitq; mihi supremus.
Nam quis in cinctâ benè sistet vrbe
Mœnibus me, tutus vbi & beatus
Viuere possim?
Quisuè iter pandet mihi vsq; ad Idumen
Nobilem, pulchris viridemq; palmis;
Hic nisi, cui fido, DEVS, potenter
Fecerit ipse
Ah DEVS, quanquàm facie rebelles
Nos tuâ pulsos trucibus premendos
Hostibus dedisti; in abena nostros
Arma ruentes.
Pristino nec more praire pergis:
Attamen, noster DEVS vt paterq;

Porriges tandem auxilium in ſupremis
Hiſce periclis.
Nil homo vanus potis eſt iuuare:
Fruſtrà in humanis igitur quis armis
Collocabit ſpem ſolidæ ſalutis
Rebus in arctis.
Facta nos ductore Deo geremus
Fortia; is noſtros pedibus ſubactos
Conteret calcando ſuis, humi proſternet & hoſtes.

PSALM. LXI.

Exaudi Deus precationem meam.

VErba clamantis pater ô beate
Mitis exaudi facilem meisq;
Admoueto aurem precibus, piâ de
Mente profectis.
Cura dum tangit ſtimulis acerbis
Cor meum; erepta eſt animo voluptas
Omnis, ac totus iaceo valens nil
Viribus æger.
Ergò præcelſam procul à periclis,
In petram me ſiſte: mea ſalutis
Namq; ſpes in te mihi ſemper vno
Certa recumbit.
Qua quidem fretus, violenti ab hoſtis
Impetu, tutus lateo, receptus
Arce vt in forti validaq; contra
Noxia tela.

Incolam ciuis tua tecta, gentis
Et tua pars fida manebo semper,
Sub tuis vivamq; quietus alis,
Mitis auis ceu
Imminet cum raptor auarus, alæ
Subijcit se matris, & hac tegente
Delitet secura, sua saluti
Nil metuendo.
Tu mea exaudis, DEVS, aure leni
Vota, das euentaq; lata ijsdem,
Præmijs largis cumulans tuum qui
Nomen honorant.
Tu pio das tempora longa Regi
Vitæ, & hæc ipsi cumulas perennes
In dies annosq; nepotum ad vsq;
Semina sera.
Vt stet accinctus, tibi seruiatq;
Te colat, semper tua iussa seruet;
Sint fides & gratia præsto, Regnum
Qua duo seruant.
His enim, regni auspicijs, manebit
Non thronus tantùm incolumis, sed & res,
Ipse quin & Rex populiq; lætâ
Pace fruentur.
Te piâ nomenq; tuum IEHOVAH
Prosequar laude, in numerosq; cogam
Verba prædulces, tibi dum rependo
Debita vota,
Vota quæ soluenda mihi diebus
Singulis sunt assiduisq; reddam,

Mente te totaq; colam redemptus
Seculum in omne.

PSALM. LXII.

Nonne Deo subiecta erit anima.

SIt licet mens hac rapidis malorum
Fluctibus quassata diu; tamen nunc
In DEO secura quiescit vno.
Namq; salutis
Is mihi est autor, mea firma rupes,
Arx satis munita, & ahena turris
Hoc ero munimine tutus, vt sors
Sæuiat áspra.
Nil mihi casus grauior nocebit.
Fulcra supponit siquidem IEHOVAH,
Quorum ego planè incolumis manebo
Robore nixus.
Cur dolos ergò innocuo paratis
Nequiter, vos ô scelerata turba?
Cur sedet sub pectore cura pridem
Vnica vestro
Hæc? virum vt fraus vestra neci modestum
Tradat, incautum perimatq; murus
Antè qui fecit vitium, velut fert
Damna ruinâ.
Perfidâ nil mente magis volutant,
Quàm queant quanám ratione rectum
De gradu digno remouere honoris,
Tot sycophanta

Consuunt mendacia vana, prompti
Ad nefas; blando ore fauent, siniſtra
Interim ſed corde mihi maligno
Fata precantur.
Sed licet praui ſcelus omne patrent:
Attamen fidit mea mens IEHOVAE,
Et ſilens expectat opem ſalutis
Hinc ſibi certam.
Ipſius eſt rupes mihi firma, tutum
Arduis in rebus & eſt aſylon,
Nixus hoc munimine cedo nunquàm
Caſibus vllis.
Et ſalus, & gloria, petra, roburq;
In DEO hæc ſunt cuncta mihi locata
Vnico, fiducia & ille ſolus
Eſt mihi firma.
Is meas res ſuſtinet vnus omnes
Fulcra ſupponens oneri labanti,
Vrgear ſi fortè graui improborum
Mole laborum.
Ergò gens quo ſidere cunq; cœli
Degis, huic te crede tuamq; prolem
Ac domum, & curas varias ſub imo
Corde latentes
Huius effunde in gremium, ille dextro
Proteget te numine, eritq; cuſtos
Is tibi fidus, tua proſperabit
Cunctaq; cœpta.
In DEO ſpes noſtra reſedit vno,
Huic poteſt fiducia noſtra tutò

Nitier; sed terrigenûm valet nil
Vana potestas.
Sint licet coram populis potentes
Subditiq́, magniq́, habeantur: omnes
Sunt tamen vani solidoq́, ad vnum
Pondere cassi.
Lance si ponas proceres in vnâ,
Alterâ de plebe aliquem misellâ
Vanitas vtrumq́, genus resultans
Æquiparabit.
Non diu per vim malè parta durant
Aut dolum; non his nimis ergò quisquàm
Fidat, haud cuiquàm placeat quod est nil,
Aut minus illo.
Si penu diues datur affluenter
Et bona ex iusto veniant labore
Ampla, nil carpant ea nec fatigent
Credula corda.
Quæ DEVS pridem proprio est locutus
Ore, non tantùm patulâ aure cepi
Verba; sed sunt ritè mihi profundâ
Mente repósta.
Quin & his mi fixa fides inhæret.
Nempè queis verè DEVS est professus,
Posse se solum omnia, se patremq́,
Esse benignum
Omnibus, fiducia queîs in illo
Vnico perstat sua; qui rependit
Cuiq́, pro facti ratione digna
Præmia vindex.

PSALM. LXIII.

DEVS Deus meus, ad te vigilo.

MI DEVS, tutela meæ salutis
Manè te quærens, tibi vlamo: mens hæc
Te sitit, desiderat hæc caroq́;
Te DEVS, vnum;
Haud secus quàm terra requirit imbres
Arida humentes. Licet hic arenas
Incolam solus steriles vt orbus
Regio honore:
Attamen specto tua sacra templa
Mente ad hæc votis cupidis regressum
Expetens, viresq́; tuum decusq́; vt
Cernere possim,
Et pijs cum cœtibus interesse
Cultibus sacris: tua nam benigna
Gratia est vitâ potior mihiq́;
Carior ipsâ.
Ergò nunc exutus honore regni,
Tristis in duro exitio miserq́;
Dum vagor, de te mea labra dicent
Carmine laudes.
Nomini cantabo tuo frequenter,
Supplices & sponte leuabo palmas,
Hæc super dum vita mihi manebit,
Tempore cuncto.
Hæc meo cordi fuerit voluptas
Vnica, in plausus modò si resoluam

Ora, te cantemq; tibiq; grata
Carmina pangam.
Scilicet mens hinc mea recreatur,
Et salit pingui saturata pastu;
Vt cibus lautus reficit, souetq; &
Corpora nutrit.
Trado cùm dulci mea membra somno,
Sum tui semper memor, esq; nocte
Tu mihi carmen, meditorq; de te
Manè resurgens.
Fers enim promptus misero salutem
Tu mihi; alarum requiesco tutus
Sub tuarum vmbrâ, vacuaq; curis
Gestio mente.
Hac tibi innitens anima vni adhaeret,
Expetit te, quarit, amat colitq;:
Subijcis dextram quia tu labanti,
Antè ruinam.
Sed mei osores, studio flagrante
Qui mea vita exitium parârunt,
Per nefas, per vimq; dolumq;, tandem
Ense peribunt.
Quin & abiecti sine honore mortis
Vultibus fient simùl ampla praeda
Et lupus sauus auidusq; multùm
Esca petita.
Inclytus Rex (sit licet illi ademptum
Regnum ius, regna tenens tamen ste)
In DEO laetabitur, ac tenebit
Regia sceptra.

Post modò, Regi facietq; honoris
Compotes secum, sacra qui per eius
Nomina adiurant, & ei dicant se
More recepto.
Vana sed tantùm reprobi loquentes
Atq; mendaces, pauido stupescent
Mox metu, quin ora gerentq; turpi ob-
structa pudore

PSALM. LXIIII.

Exaudi DEVS orationem meam.

AH DEVS vocem querulam precanti
Percipe in rebus miseris, & ipse
Hanc mihi vindex truculento ab hoste
Assere vitam.
Fraudibus me seditiosa diris
Factio oppugnat, trucibus fremitq;
Consilis, sensa inq; meam volutat
Omnia cladem.
Ergò me praui generis furori
Subtrahe: absconsumq; tuere IOVAH,
Ampliùs possit mihi ne maligna
Turba nocere.
Nam suas linguas acuunt scelesti
Ensis in morem, feriuntq; verbis
Toxico infectis, ferit vt sagitta
Tortilis arcu.
Non palàm in rectos iaculantur; atris
Sed petunt ex insidijs merentes

Nil mali, audacter subitoq; acuta
Spicula torquent,
Vindicem quenquàm forè non timentes:
Fortiter stant consilijs & ausis
Improbis; quin semet & inter ipsos
Sæpè loquuntur;
Quo queant celare modo, dolosos
Et nimis duros laqueos & artes
Noxias; ne quis videat sciatuè
Conscius vllus.
Nil nisi fraudes meditantur imâ in
Mente, & occultant malè cogitata,
Cùm tamen sint ad mala cuncta semper
Vsq; parati.
Sed DEVS vindex scelerum vibrante
Dexterâ incautos feriet, sagittæ
Spiculis lethalia flammeisq;
Vulnera figet.
Quin sua autori exitium parabit
Lingua, risusq; opprobriumq; fient
Improbi his spectacula qui stupebunt
Tanta videntes.
Nempè non casus mouet illa, dicent;
Sed DEVS qui lumine cuncta acuto
Prospicit vindex opus hoc stupendum
Ipse patrauit.
Integer vitæ scelerisq; purus,
Gaudet in solo placidè IEHOVAH,
Seq; huic vni & sua cuncta tutò
Credere nouit.

Simplicis candor bonitasq́; cordis
Gratiam & laudem comites habebit
Semper, incedet solido triumphans
Gaudio in æuum.

PSALM. LXV.

Te decet hymnus Deus.

MAgne terrarum liquidiq́; cœli
Conditor, te laude pius Zionis
Cœtus extollit celebri silendo
Dum mala perfert
Plurima, & dura cruce sub rependit
Debita agnoscens tibi vota supplex;
Et preces fundit, lachrymis amaris
Ore madente.
Irritas nunquàm tamen: ipse clemens
Nam preces audis tibi supplicantúm;
Indigens ergò auxilij caro ad te
Confluit omnis.
Magna nos delicta premunt & vrgent.
Esse te queis heu grauiter fatemur
Sapeq́; offensum; placidè tamen tu
Respice fassos:
Gratiâ dignere tuosq́; clemens
Supplices, peccata remitte nobis
Quæsumus, nostri miserere, & omnem
Tolle reatum.
Ille erit cunctis numeris beatus.
Quem tibi tu deligis, & fauore

Patrio complecteris allicisq;
Numine blando,
Lætus vt præsente fruatur ipso
Temet, in templi tibi dedicati
Atrijs sanctis, vbi viuat omni
Tempore felix,
Hauriens solamina dulcia agro
Pectori: pro iustitiâ stupenda
Annuas votis precibusq; nostris
Sancte IEHOVAH.

O DEVS spes, vita salusq; nobis
A tuâ tantùm bonitate pendet:
Quin & es cunctis, procùl hinc remotis
Trans mare terris,
Qui sibi certas posuêre sedes,
Asperum contrà mare & inquietum,
Murus, & fiducia firma, tutum
Præsidiumq;.
Arduos montes stabilisq; firmas
Robore, & fluctus pelagi frementis
Vi potens sistis validâ, vagas com-
pescis & vndas.
Gentium insanos cohibes furores,
Pace commutans placidâ tumultus,
Qui colunt fines tua pertimescent
Signa stupenda.
Omne quod Sol lumine lustrat almo,
Tu facis lætum? reticent & ortus
Et tua occasus, patulum per orbem,
Munera larga.

Respicis terra sitientis arua,
Imbreq; inuisis pluuio, benignè
Et foues, multoq; superba fœtu
Reddis amica.

Riuulis fontes Domini secundis
Dant aquas, sicut pelagus redundans;
Quin tuo fert pinguis ager salubres
Munere fructus.

Tu quibus laxas auidis colonis
Horrea & reples: tibi sic paratur
Fertilis terra, vt benè culta fiat
Fruge beata.

Illius sulcos fluidum per imbrem
Ebrios reddis, rigidoq; glebas
Vomere euulsas pluuialis vnda a-
spergine mollis;

Copiâ vt largâ ferat inde fruges.
Floridâ exornas veluti coronâ.
Tu tuis donis dator almus annum;
Qua graderisq;.

Cunq;, ibi vestigia certa linquis
Pinguibus succis, loca perq; sola
Ante, iam sit semita trita, crescunt
Cultaq; rura.

Pascua in vasto renouata saltu
Perfluunt fœtu saliente rident
Et lacus musco redimiti, odore &
Gramine colles.

Hic greges pascunt ouium perampla
Prata, & in campis segetes apricis

Fluctu-

Fluctuant, redduntq; hilares colonos
Spebus ouantes.
Concinant ergò tibi grata toto
Orbe mortales, resonentq; lati
Carmina, & pro frugibus, & pro amica
Munere pacis.

PSALM. LXVI.

Iubilate DEO omnis terra.

EDite ô vos terricolæ tonanti
Iubila, & tu terra simul globosa,
Nomen illius celebres sacratum
Laude decente.
Canticis extollite numen astra in
Celsa diuinum altisonus: IEHOVAH,
Dicite, ô quàm gesta modis stupenda
Sunt tua multis;
Roboris vis tanta tui est, vt hostes,
Viribus quamuis valeant & ipsi,
Quicquid intentent, careat suis suc-
cessibus omne.
Te modò agnoscant Dominum at adorent,
Incolæ terra omniparentis vnum;
Nomini psallantq; tuo, decenter
Teq; celebrent.
Eia adeste, accurrite, gesta visum
Mira supremi Domini DEI q.
Consulit queis terrigenis benigni
More parentis:

Nam mare exsiccat liquidum, vadumq;
Efficit planè, pelagus profundum;
Agmina vt transire queant fluentes
Læta per vndas.

Sic quidem siccis pedibus, per arua
Arida, ac si fortè datur vagari:
Hinc capit nostrum noua rursùs ægrum
Gaudia pectus.

Præpotens ampli dominator orbis
Sceptra gestat secula in æuiterna
Regia, obseruans populos acuto
Lumine cunctos:

Et bonos mentemq; humilem gerentes
Et malos fretosq; suis rebelles
Viribus, quos imperitare præ se
Haud sinet vnquàm.

O DEVM nostrum, spacioso in orbe
Viuitis quotquot, celebrate digni
Laudibus, linguis animisq; vbiq;
Dicite magnum.

Seruat is nobis animas redemptas
Morte, ne forsan titubentq; gressu
Hi pedes idem prohibens eosdem
Robore firmat.

Tu DEVS, ceu igne probantur æra,
Nos ad examen rigidum vocâsti,
Passus es dum nos mala tot, pericla
Tanta subire:

Carceri inclusos miserè ligâsti
Ferreu vinclis, grauiterq; lumbos

Mole preſſiſti ſtimulante noſtros;
Imò tyrannis
Inſuper ſauis caput atq; colla
Noſtra dediſti pedibus terenda,
Impotentisq; imperij iugum ſub
Turpe tremenda.
Imò perq; ignes medios, profundas
Perq; aquas tranſiuimus; vnde ſalui
Te tamen ductore ſumus reuerſi
Ad loca tuta.
Nunc vbi nos pace ſinis quietâ
Perfrui, terraq; bonis opima:
Ergo facturus tibi ſacra ſupplex
Limina templi.
Inclyti viſam pia, victimasq;
Offeram gratas tibi, vota ſoluens
Antè promiſi vt labijs apertis
Oreq; fido.
Vota in afflictis tibi nuncupata
Rebus: inq; aras holocauſta ſacras
Pinguia imponam, dabit hircus & bos
Ignibus exta.
Eia adeſte, audite mihi, IEHOVAE
Quos timor tangit, memorare pergo
Dum meæ quæcunq; animæ paterne
Fecerit idem.
Illum ego ſæpè ore meo vocabam,
Illius linguaq; meâ colebam
Numen, in duris miſerisq; verſans
Rebus & arctis.

Mente

Mente si quid fortè malâ nefandum
Voluerem; certè Dominus precantem
Impium dimitteret, aure surdâ
Respueretq;

Sed preces puro quia fundo castas
Corde, permixtas lachrymis amaris;
Ipsus attentas mihi supplicanti
Commodat aures.

Gratias dico ergò patri supremo;
Qui meas non aure preces seuerâ
Respuens, vnquàm vacuas sinit volare per auras.

Qui suâ me destituit misellum
Supplicem nunquàm bonitate, semper
Sed mihi sese exhibet ipse mitem
Atq; benignum.

PSALM. LXVII.

Deus misereatur nostri, & benedicat.

NVnc DEVS nostram miserate sortem
Sis fauens nobis, Domine ô videre
Nos tui clemensq; sinas sereni
Lumina vultus.

Mentium splendare tuo tenebras
Ipse nostrarum irradies nitente;
Gentibus terra vt tua nota cunctis
Semita fiat.

Et sua autorem celebret salutis
Quisq; te laudant populi frequentes,

Plena ſunt laudis q3 tua, IEHOVAH,
Climata terræ.
Geſtiunt cunctli populi ſecundis
Plauſibus, gratesq3 tibi recenſent,
Et canunt læti recinuntq3 ouantes
Te DEVS omnes:
Sis quòd in terris moderator arctis
Iuris, ac toti dominetis orbi,
Quà patet linguis variata tellus,
Arbiter æquus.
Laudibus cantant populi fatentes
Te DEVM patrem, & celebrant benignum
Singuli ac omnes pariter, quot ardens
Irradiat Sol.
Terra fert fructus propriumq3 germen:
Nempè ſic nobis benedicis alme
Tu DEVS fili, DEVS & ſacrator
Spiritus alme.
Ergò trinunum Dominum Deumq3
Te colant omnes timeantq3 gentes
Te ſonent, cantent, reſonent, celebrent
Laude perenni.

PSALM. LXVIII.

Exurgat DEVS, & diſſipentur inimici eius.

FOrtis exurgat Dominus feroces
Diſſipetq3 hoſtes procùl hinc fugatos,

Dexterâ ſternatq; ſibi rebelles
Eminùs omnes.
Fumus vt flammis agitatur ater;
Feruido ceu cera liqueſcit igne:
Sic DEO indignante ſimùl peribit
Impia turba.
Parte ſed præſente aliâ IEHOVAH,
Quos amor iuſti tenet atq; recti,
Geſtiant plauſus reſonentq;, toto
Pectore lati.
Ergò pſallentes pia turba carmen
Iam DEO cantate bonum, illiusq;
Numen & ſanctum celebrate nomen
Voce canorâ
Ritè hùic aquate viam, benignus
Qui venit per ſydera vectus alta,
Solus æternusq; potens gubernat
Legibus orbem.
Vndè & hic ſicut Dominus vocatur
Iure; ſic verè eſt Dominus Deusq;
Ima cúi ſoli pariterq; ſumma
Omnia parent.
Qui tenens celſam ſuper aſtra ſedem
Reſpicit curas hominum, paterq;
Fidus eſt orbis patribus, patronus
Eſt viduisq;.
Qui domos replet ſteriles beatâ
Prole, lectos latificans iugales;
Triſtibus captos ſoluitq; vinclis
Tempore iuſto.

Rura sed linquit populi rebellis
Sicca, & obducit bibulis arenis,
Prorsùs vt cultura laborq; inanis
Exeat omnis.

Cùm tibi, tu magne DEVS, sacratum
Duceres ipsius populum per âspra
Tesqua, cretosæ tremuêre cuncta
Viscera terræ.

Tuncq; sudoris maduêre anheli
Imbribus cœli, tremuitq; rupes
Cura, præ vultu Domini, sub altâ
Arce Zionis.

Imò & hoc præsente DEO, Israëlis
Qui DEVS verè est, velut & vocatur,
Nil latet terrâ genitum, tremat quin
Atq; paueſcat.

Sed DEVS nunc arua rigas benigno
Imbre, quæ possessio sunt tuorum
Dulcis hæredum, recreasq; fessa
Rore madente.

Sapiùs tecum tuus vt vel illic
Grex cubet, latisq; fruantur omnes
Pascuis, sic ipse quibus paternè
Prospicis almus.

Largiter verbum Dominus salutis
Donat, ac Euangelij ministros;
Adserunt qui voce piâ docentes
Nuncia lata.

Arma cum funesta capit cruentus
Hostis, & mortem crepat inter arma,

Iam canunt casta resonâ puella
Voce triumphum,
Nam duces exercituum quiescent
Iam modò, inter se facientq; pacem,
Bellicis tandem vt spolijs inermis
Turba fruatur.
Castra si quandoq; tamen locetis
Vos & armati, galeâ micante,
Sic caput vestrum radians nitescet,
Splendet vt alis
Auro & argento nitidis columba.
Cùm DEVS præfecerit ipse Reges
Præpotens orbi, tenebris fugatis,
Luce serenâ
Cuncta splendescent loca; quaq; luctu
Ante squalentes Solymæ iacebant,
Iam niue ipsâ Sithoniâ refulgent
Candidiores.
Mons Dei, mons frugifer vnus omnes
Vincit vbertate suâ redundans;
Imò Basani superat feracis
Pascua montis.
Qui licet cœlo capita alta tollens
Exerat, sedem DEVS in sacrato
Attamen legit sibimet placentem
Monte Zionis.
Hunc colit montem DEVS, hîc resedit,
Hûic adest præsens, & in hoc manebit,
Donec hunc Sol lumine lustrat almo
Igneus orbem.

Currum

Curuum sunt millia multa, vectus
Queîs DEVS per culmina celsa Sinæ,
Vt bonus præses sua sæpiùs sa-
craria visit.
Tu triumphator petis astra cœli
Ardui sublimia, capta forti
Dexterâ tecumq́; trahis, catenis
Agmina vincta.
Hinc tui passim populi reportant
Dante te pulcherrima dona; quin &
Colla submittent tibi qui fuêre
Antè rebelles:
Vt suam sedem Dominus DEVS q́
In loco soli sibi consecrato,
Incolens fixam teneat beatus
Omne per æuum.
Laude cantemus celebri IEHOVAM,
Singulis cunctisq́; diebus vnâ,
Qui premit nos mole quidem malorum,
Sed leuat idem.
Nam DEVS noster potis est salutes
Solas optandas dare rebus arctis.
Idem & è diri rabidis rapit nos
Faucibus Orci.
Vulnere at cœco caput hostis, vltor
Figet, abscindetq́; comam superbi
Verticis, quemcunq́; tenet libido
Fraua patrandi.
Sed DEVS, de pinguibus, ipse, terra,
Dixit, electos iterum vocabo

E maris quosdam medioq; tractos
Ipse reducam.
Ergò erit tinctus tibi pes cruore
Hostium, lambentq; canes fluentem
Sanguinem, de vulneribus, patrata
Cadis amaris.
Quàm DEVS pompâ celebri, triumpho
Quamq; honorato veniat meus Rex
Et DEVS, sacrata petens stupentes
Templa videmus.
Qui piâ cantant tibi voce carmen
Dulce præcedunt, alij sequuntur,
Qui mouent dextrâ bene doctâ ab arte
Musica plectra.
His & admixta ingenua puella,
Dum tuas laudes resonante voce
Concinunt, plausu & fremitu secundo
Tympana pulsant.
Publico in cœtu Dominum Deumq;
Sit pijs laudare palàm voluptas,
Pro sacris ac dulcibus Israëlis
Fontibus, vnà.
Beniamin paruus dominatur illic
Summus vt princeps, procereſq; Iudæ
Nobilis regnant simùl, imperiq;
Sceptra gubernant.
Et genus clarum Sebulonis, atq;
Nephthali, cœtusq; durum valentes
Queis Deus vires animosq; fortes
Ipse ministrat.

Hoc tibi qui constituit q3 regnum
Robore in nobis bene firmet auctum.
Illius namq3 est opus hoc stupendum
Magnificumq3.

Ob sacrum templum Solymæ beatæ,
Offerent Reges pretiosa magni
Dona, submittentq3 tibi deinceps
Colla superba.

Increpa & compesce minax arundo
Quod tegit spicata foueq3 monstrum:
Et feroces cum vitulis proterua
Reprime tauros.

Sed duces fractos humilesq3 coge,
Sponte vectigalia deinde soluant
Vt tibi: pugnas populos strepentes
Disjice cunctos.

Quin & AEgypti proceres, Canopi
Sedibus lictis venient manuq3
Supplices ipsi AEthiopes tonanti ad
Sydera tollent.

Regna terrarum celebrate IOVAM
Canticis, & pangite dulce carmen
Regi hüic qui celsa volans per astra
Regnat vbiq3.

Qui sua robur dabit ipse voci,
Voce cùm mittet tonitru tonante,
Præpotens virtute sonorum Olympo
Terrificumq3.

Huic Deo debetur honor perennis
Lausq3, qui clarum est decus Israëlis,

Illiusq; in nubibus vna celsis
Gloria splendet.
In sacris edens adytis stupenda
Facta mirandus DEVS. Israëlis
Protegit, curat, patrioq; gentem
More tuetur.
Cæteris idem populis honores
Atq; virtutem tribuet benignus,
Laudibus certè assiduis perenni &
Carmine dignus.

PSALM. LXIX.
Saluum me fac DEVS.

SVpplicem serua DEVS ô miserum,
Ferre quam solusq; potes salutem
Fer mihi lasso, grauiumq; presso
Mole malorum.
Sic mea immersa est anima vsq; in vndis,
Sic luto inuoluor miser heu palustri;
Prorsus vt nullum pedibus queam con-
tingere fundum.
Fluctibus iactor pelagi furentis,
Pœnè suffocor rapidis ab vndis;
Nec mihi quisquam auxilio venit, qui
Me extrahat inde.
Languidus clamore vago fatigor,
Nec sonat vox gutture rauca hiante;
Quin diu spectando nimis micantia
Lumina torpent

Ad Deum directa, mea salutis
Vnicum autorem assiduis diebus;
Posco dum votis cupidis opemq;
Auxiliumq;.

Qui premunt sæuis odijs iniquè
Prorsùs insontem, numero capillos.
Quos caput gesto super, atq; circum
Tempora, vincunt.

Indies sumunt sibi robur hostes
Improbi, quicunq; mihi nocenti
Nemini pridem malè fabricárunt
Damna cruenta.

Heu ego persoluere cogor omne
Debitum, qui debita nulla feci,
Nec mihi quicquam rapui, quod esset
Morte piandum.

Cuncta qui nósti, DEVS ipse testis
Es meæ non stultitiæ modò, sed
Et meæ culpæ: quia sum nec omnis
Criminis expers,

Cœlitum dux magne, pudore tristi
Obrui ne quæso sinas vel vnum
Propter eheu me miserum, salutis
Spes quibus es tu.

Ex meâ ne fac rubeant acerbâ
Clade, qui quærunt, DEVS Israëlis
Te, tuum nomen metuunt, adorant
Supplice voce.

Nam tui caussâ fero dirâ probra.
Et meæ infecit pudor ora tristis:

Me mei fratres fugiunt, eâdem
Matre creati.
Me tua iam cura domus piusq́;
Zelus exedit; probra queis scelesti
Te petunt, in me miserum recurrunt
Meq́; molestiant.
Cum fleo, mœstis crucioq́; curis
Cor meum, ieiunia sæpè miscens
Lachrymis, squalentibus atq; saccis
Contegor artus.
Debiles: illi excipiunt proteruè
Me probris, risu, leuibusq́; sannis;
Heu meos augent salibusq́; fletus
Atq; dolores.
Quin & in portis simùl assidentes,
Vana de me multa loquuntur, altis:
In suis de meq́; canunt tabernis
Ebria turba.
Interim sed vota tibi, IEHOVAH,
Fundo ego supplex, tibi clamo iusto
Tempore, exaudi & mihi fer benignam
Quæso salutem.
Non quidem dignam meritis meis fer,
Sed tuâ tantùm pietate dignam
Et fide: nam tu pius & fidelis
Es sine fine.
Me luto fac extrahe, ne vel vndis
AEger immergar tumidis, doloué
Hostis in casses veniam cruenti
Præda petita.

Ne sinas me corripiat procellis
Vnde ventosis, rapidusue gurges
Mergat apprensum subitò & vorago absorbeat alta.

Da meis pronam precibus IEHOVAH
Aurem, & exaudi facilis vocantem:
Nam tua est solamine plena dulci
Gratia semper.

Respice afflictum bonitatis almæ
Copiâ pro diuite: ne misello
Subtrahas vultum famulo serenum in
Rebus egenis.

Ah premor durâ nimis & coarctor
Sorte, fer festinus opem salutis,
Audiens mitis tibi supplicantis
Feruida vota.

Huic ades præsens animæ, misellam
Dum premit sæuus vehementer hostis:
Me potens serua, & truculento ab hoste
Assere vindex.

Nam probri ac ignominiæ superbæ,
Es mihi testis; mihi quàm proteruè
Impia illudat noceatq; turba,
Testis es idem.

Pœnè iam frangunt mihi pectus ægrum
Probra; quærebam miserator ecquis
Se mihi offerret, socius dolorem
Quiuè leuaret
Anxium solamine; sed repertus
Est mihi nemo; mea quin amaro

Dulcia intingunt, mihi porrigunt q̃
Fercula felle.
Atq̃ mordaci mea pocla miſcent
Et mihi corrupta parant aceto,
Cùm ſiti areſcunt mea labra, lingua &
Faucibus hæret.
Menſa vertatur laqueos in arctos
Talibus, te retribuente pœnas
Vt luant factis meritas nefandis,
Peſſima turba.
Occupet caligo oculos eorum
Denſa, ne quicquàm videant, vacillent
Debiles lumbis, reliquo cadantq̃
Corpore fracti.
His tuam profunde ſeuerus iram,
Opprimat tactos furor atq̃ turbet
Hos tuus, deſerta palatia alta
His iaceantq̃.
Mœreant & tecta ſuis colonis
Orba, ſint vaſtaq̃ domus eremi
Inſtar illorum; vacuas colat qui
Nemo ſuperſit.
Namq̃ tu quem percutis ipſe dextrâ
Patris in morem, petulante acerbant
Ore, narrantes numero deliſti
Vulnera quanta.
Fac ſine vt prauo vitio vel vni
Improbi plura adjiciant ſubinde;
Ne tui guſtum capiant fauoris
Tempore in vllo.

Deleas libro, precor ô IEHOVAH,
Hoſce viuentûm, numeres nec inter
Hoc genus iuſtos, tua qui verentur
Numina dia.

Sum miſer, multoq; iacens dolore
Preſſus, expectoq; tuam ſalutem:
Ah DEVS, dextrâ patriâ leuato
Oro iacentem.

Ipſe nomen magnificum IEHOVAE
Gratulans laudabo canamq; dulci
Carmine, è toto referamq; dignas
Pectore grates.

Hæc Deo certè mage grata dona
Sunt, placent illiq; magis, iuuencus
Vngulis quàm præditus atq; geſtans
Cornua taurus.

Hoc vbi cernent humiles, tenaci
Et fide exemplum ſibimet prehendent
Gaudijs latis ſua ſubleuabunt
Triſtia damna.

Geſtient & corda DEVM colentum
Viuida; exaudit ſiquidem vocantes
Pauperes, nec negligit ipſe IOVAH
Carcere vinctos.

Ergo collaudent Dominum poluſq;
Terraq; & pontus pariter; mouetur
Et quod his in cunq;, quo eſt & extra
Hæc, ſimul omne.

Nam DEVS ſeruare Zionis arcem
Vt ſolet; ſic auxilio iuuabit.

Fortis & Iudæ reparabit vrbes
Cinget & altis
Mœnibus, quas possideant fideles
Subditi ciues, boni, feracis
Et colant terræ sua læti amœna
Rura coloni.
Turba seruorum pia, semen ortum
His & hæredum proprio tenebit
Iure, quam sedem Dominus Deusq;
Ipse parauit.
His, suum qui ritè colunt sacratum
Nomen, & numen venerantur altum,
Non fide ficta, pietate verâ,
Diuite cultu.

PSALM. LXX.

Deus in adiutorium meum intende.

NVnc moram quæso, DEVS alme mittas
His meis præsentibus in periclis:
Libera afflictum, properes salutem
Ferre misello.
Turpis inuadat pudor obruatq;
Hancce quærentes animam, recedant
Retrò, qui insonti mala multa prauo
Corde precantur.
Perferant probrum pauidoq; vultu
Conscium omnes concipiant ruborem
Qui mihi insultant petulanter, euge
Euge strepentes.

Gaudio sed lætitiaq; dulci,
Qui tuis gaudent placitis, fruantur;
Quiq; spem certam solida salutis
Te posuére.

Occinant laudes tibi continenter,
Carminisq; ortu ingeminent subindè
Verba, queis detur tibi magne IOVAH
Gratia magna.

Ast ego pauper, miser, ager, oro.
Perge ne differre meam salutem;
Promptus ac votis cupidis diu iam
Ferto petitam.

Tu mihi protector es vnus, omnis
A tuo pendet mea spes, IEHOVAH,
Numine, in rebus miseris leuamen
Tu mihi dulce es.

Ergo sis præsens mihi iam misello;
Huc DEVS vestigia nil moratus
Tende. Nam quauis mora tristis ægro
Est & egenti.

PSALM. LXXI.

In te Domine speraui.

SPes mea in te fixa DEVS resedit,
Ne ferar turpem prohibe repulsam,
Neu meam tristi inficiat pudore
Irrita mentem.

His malis me per tua iura duris
Eripe, hostiliq; manu potenter

Assere,

Assere, & dignere tuâ salute
Me precor agrum.

Fac mihi flectas facilis benignam
Aurem, & intentam miseris querelis,
Et tui serues famuli fidelis
Pectora fessa.

Tu mihi fortissima turris esto,
Et mea vita columen, petraq;
Instar, in rebus miseris & arctis
Perfugiumq;.

Nam dabas promissa mihi, recordor
Ceu benè, vt certus fierem salutis;
Ergò fidenti petra, turris, arxq;
Sis & asylon.

Mi DEVS, diris manibus maligni
Eripe ex hostis, violentiaq;
Me graui fac subtrahe quaso iniqui
Atq; Tyranni.

Scilicet fiducia tu IEHOVAH
O DEVS, sp̃es & mea certa es vnus
Semper, hos dum prima mihi iuuenta
Venit ad annos.

Ventre tu extráxti genitricis almâ
Ipse me lucis referens in vsum;
Ergò te canto meritò perenni
Carmine laudum.

Quanquàm ego, ceu prodigium ferendis
Tot malis natus videor proteruæ &
Impiæ turbæ; mea spes recumbit
Attamen in te.

Os tuis & lingua mihi redundent
Laudibus, non vlla abeat diei
Hora, quin cantando tuos celebrem
Carmine honores.

Ne procùl me pelle, senilis ætas
Venerit cùm, desere nec misellum.
Viribus cùm destituetur ægrum &
Debile corpus.

Nam mihi insultant petulanter hostes
Asperis dictis, caput hocq; prauis
Consiliis, vi, fraude, dolo malignè
Perdere tentant.

Hunc DEVS liquit miserum, proteruo
Ore conclamant: igitur secuti
Hunc modò comprendite, dum potest e-
uadere nusquàm.

Suscipit quem nemo patronus, imò
Cui venit nemo auxilio, redemptor
Cui nec est vllus, nec adesse vindex
Cernitur vllus.

Hinc DEVS ne cede procùl, morando
Nilq; fer festinus opem salutis,
Mi DEVS presso mihi, me iacentem
Erige fortis.

Mitte confusi pereant vt omnes
Qui meæ vitæ insidiantur hostes;
Obruat fœdus pudor immerenti
Damna parantes.

Interim sed corde silens quieto
Spem bonam seruabo tenax fidemq;

Et tuas ſemper referam canoro
Carmine laudes.
Ius tuum paſſim mea dicet æquum
Lingua, narrabitq; tuas ſalutes,
Iugiter pſallens numeris, perennes
Innumerasq;.
Dirigit virtute Deus IEHOVAH
Et ſuâ ingreſſus mihi firmat vnus,
Solius mi Iuſtitia alma cuius
Carmen amicum eſt.
Tu DEVS doctor meus es iuuentâ
A meâ, primis docuiſti ab annis
Me, tua vt miracla magna poſſem
Ritè referre.
Ne graui canum ſenio relinque,
O DEVS, donec ſoboli futuræ
Vim tui Brachî memorem, tuæq;
Robora dextræ.
O DEVS quàm iuſtitia præaltum
Laus tua excedit ſuperatq; cœlum;
Qui facis magnalia; núm DEVS par
Eſt tibi quiſquam?
Qui tuâ virtute facis tot vnus
Ardua: cheu gurgite me malorum
Merſeras, vitaq; tamen quietæ
Reſtituiſti.
Extrahis terræ latebris profundis
Me, locum rurſus reuocasq; in altum.
Magnus vt dicar, cumulas opum vi
Claro & honore.

Recreas tristem mihi & ipse mentem
Mitis, & solamine pectus ægrum &
Turbidum sistus placido, beata
Gaudia reddens.

Ergò te cantabo, tuam fidemq́;
Gratus, & Nablo & Citharâ sonante.
Mi DEVS. Spes ô mea, & Israëlis
Sancte redemptor.

Quin & hac mixtum fidibus canoris
Concinent carmen labia, hacq; gestit
Laudibus te efferre anima occinendis,
Morte redempta.

Singulis & iustitiam diebus
Hæc tuam profert celebrataq; lingua,
Et tibi tantùm meditatur vnĩ,
Carmina laudum.

Qui parant mi fraude doloq; damna
Tristia, hos infamia turpis omnes
Obruat, tristemq; ferat repulsam
Noxia turba.

PSALM. LXXII.

Deus iudicium tuum regi da.

O DEVS rerum sator alme, Regum
Maxime ô Rex, da tua iura Regi,
Et tuam confer bonus æquitatem
Iustitiamq;.

Filio Regis; regat ille vt æquis
Legibus, gentem tibi conse cratam,

Iudicet lites, inopesq; ſeruet
Vindice dextrâ.
Montibus celſis veniat beata
Pax ferant iuſtis ſua dona colles,
His, quibus gratis ſua cuiq; damnans
Noxa remiſſa eſt.
Ille ius æquum imocuis, vt æquus
Arbiter reddet, miſerûm ſaluti
Conſulet falſoq; calumniantes
Conteret omnes.
Sol diem dum lumine luſtrat almo,
Luna dum noctem irradiatq; opacam,
Poſteris te progenies timebit
Poſtera ſeclis.
Pralÿ felicis in omen alto
Decidens vt vellera ſicca olympo
Imbuit, ceu ros recreatq; terram
Aridam ab æſtu:
Gramine & veſtit viridi & coronat
Floribus pulchris, nitidis beatq;
Frugibus, ſolers ſua queis colonus
Horrea replet:
Sic pijs hoc Rege vigebit alma
Pax, erit ius perpetuo integrumq;
Luna donec deficiente linquat
Lumine noctes.
Is potens ducit ſacra ſceptra regni
A mari externo mare ad intimum vſq;,
Imò & à Iarden fluuijs amœnis,
Tollet habenas,

Vlti-

Vltimas orbusq; feret per oras
AEthiops hunc vt colat ac adoret,
Illiusq; hostes veniam precanti
Supplice voto
Pulueres lingant cineresq; terræ:
Huic ferent Reges sua dona pontum
Qui tenent, dites Arabumq; thuris
Atq; Sabæi.
Hunc adorabunt metuentq; Reges
Cuncti, & huius seruitium subibunt
Quot tenent gentes variis globosum
Legibus orbem.
Namq; defendet querulâ miſellum
Voce clamantem, auxilioq; dignum;
Sed sibi non auxiliator vsquàm
Cernitur vllus.
Gratiâ dignabitur ipſius agros
Et viris quos pauperies probroſa
Vexat, optatam precibus ſalutem
Conferet almus.
Ille depreſſas animas leuabit,
Improbâ inſontes redimetq; fraude:
Nam ſibi ſanguis pius en je fuſus.
Carus habetur.
Viuet æternùm, ex Arabumq; gazis
Aureus ſumet ſibi dona; ſemper
Audiet præconia digna laudum
Omine læto.
Aurea exurget ſeges orbe toto;
Arduis in montibus alma tellus

Iam ſtrepet denſis agitante vento
Mobili ariſtis,
Quàm tremunt cedri Libani, aura perflat
Dum tumens: vrbes populis frequentes
Sic erunt; vt vere tepente florent
Gramina campis.
Illius per ſecula cunctа ſacrum
Nomen auguſtumq; manebit, vsq;
Dum iubar Solis radiata fundet
Lumina terris.
Eius ad ſeros veniet nepotes
Nomen, vt longâ ſerie celebre
Fiat, & ſpes inde fluat ſalutis
Gentibus vna
Omnibus, dignum imperio canent qua
Rurſus hunc, & carmine lato ouantes
Hunc ſalutabunt, & honore tollent
Cœlica ad aſtra.
Gloria & laus ſit Domino Deoq;
Qui Deus dictus populi Iſraëlis,
Perficit miracula magna rerum
Omnia ſolus.
Inclytum cuius memori per auum
Nomen extendant celebrentq; laude,
Vltimis quicunq; habitant in ampli
Finibus orbis.
Compleat terras peragrans vt alma
Gloria illius penetretq; cunctas:
Arguit vox hac rata vota duplex
Amen & Amen.

FINIS LIBRI SECVNDI.

PSALMORUM LIBER TERTIUS.

PSALM. LXXIII.

Quam bonus Israel DEVS.

Sorte sit quamuis miserâ misellus
Israël depressus, honore & omni
Orbus, & nemo miserante dextrâ
Subleuet ægrum:
Non tamen fractis animis IEHOVÆ
Fidit, in cuius bonitate firmam
Spem locat, tantùm quia recta puro
Corde volutat.
Ast ego motis pedibus vacillans,
Pœnè quâ rectus gradiebar antè
Semitâ, deflexeram iniqua cernens
Impatienter;
Impios hîc commoda tot manere
Turgidos fastu placiris fruiq;
Rebus, & florere diu fauente
Sorte beatos.
Quos nihil ventura pericla terrent
Inuidæ mortis, quibus instar aulæ,
Roboris vis viuida constat, arcis
Prævalidaq;.

Nulla

Nulla queis arumna grauis moleſta eſt
Nec premens vrget cruciatuè egeſtas:
Sint quòd expertes hominum piorum
Sortis iniquæ.

Hinc fit vt tollant animos, ſecundâ
Flante fortunâ, ſibi vendicentq;
Cuncta, & incedant tumidi inſolenter
Corpore obeſo.

Faſtus elucens oculis eorum
Eſt comes fraudis violentiæq;
Quæ modum neſcit, furibundi eunt quò
Vota laceſſunt.

Quæ libent hæc cuncta patrant proteruè
Et premunt verbis aliena facta,
Laude ſint condigna licet, probatâ
Iudicijq;.

Omnia infra ſe refutant ſuperbè,
Proferunt quæ, cœlitùs orta ducunt
Verba, & in toto ſtatuunt probanda
Legibus orbe.

Mole ſe vaſtâ mouet ergò vulgus
Hùc, & in denſum glomeratur agmen
Inſtar vndarum; quia regnat aſſen-
tatio vbiq;.

Impio ſe cumq; loquuntur ore
Talia: an cernat DEVS iſta vindex?
Ecquid excelſum ſciat atq; curet
Omnia numen?

Tela quid torpere ſinat, quid ignes,
Miror, his parcatq; DEVS IEHOVAH.

Mens

Mens quibus prorſus pietatis expers
Suggerit iſta.
Sed vide, quò ſit DEVS vsq; mitis
Et bonus, qui vindicis vltrò dextrâ
Abſtinens, illos cumulat cupitis
Rebus, & ornat
Omnibus, quæ mundus amat, ſinitq;
Perfrui optatis opibus potentes
Atq; felices, & honoris altâ in
Sede locatos.
Ergò num cor labe carens nè fruſtra?
Et manus à crimine ſeruo puras
Fruſtra? & affligor malè continenter.
Atq; labores
Perferens, fruſtra crucior dolore
Intimo cordis, ſine fine? toto
Dum die me ſanguineo ſubegi?
Pœna flagello.
Manè me quaſſat miſerum recurrens
Plaga, momento mihi dum daretur
Vix quies vno, recrearet ægram
Quæ mihi mentem.
Pœnè ego vt vulgus ſtolidum profano
Ore dixiſſem: præmium labori nè,
Heu, meo tàm triſte paratur æqui;
At minùs æquâ
Lance damnâſſem malè, falſus, omnes
Tu DEVS quos nomine filiorum
Ipſe dignaris, tibi deligisq;
Pignora cara.

Hinc ego cauſas meditatus, altâ
Mente, ſcrutabar nimium latentes;
Sed meos res exſuperabat omnes
Ardua ſenſus.
Donec ingreſſus ſacra templa IOVAE
Cernerem myſteria magna, & illos
Exitus quisnàm maneat, quis hoſce
Ritè notarem.
Lubricis tu namq; locis ſuperbos
Collocas ad culmina ſumma rerum;
Indè eos trudat grauis vt vicissim
Caſus ad orcum.
Heu eunt peſſum ſubitò, pauore
Territi triſtem capiuntq; finem,
Lucis expertes pereuntq; tandem
Turbine lethi.
Cœca ceu noctis veniunt repentè
Somnia, & nil ſunt niſi vana imago,
Sic, DEVS, temni dabis ipſe eorum
Spectra per vrbem.
Sed mihi cor bilis edax tenellum
Inficit, punguntq; meos dolores
Anxij renes, ſtolidus putor quòd
Mentis & expers.
Ceu pecus planè ſtupidumq; coram
Arguor te, more feraq; cultus
Indigus bruta ratione negata
Cui ſit & omnis.
Et tamen cura tibi ſum paterna;
Me tenet ſemper tua dextra, totus

Pendeo

Pendeo abs te, numine tu iacentem
Erigis alnò.
Instruis me, & consilio gubernas
Tu salutari, miserumq; clemens
Excipis, tecum in honore tandem
Ipse reponis.
Tu modò mecum maneas, meoq;
Te modò amplexu teneam, quod offert
Vel polus vel terra, magis quid optem
Atq; requiram?
Si caro tabescat, & hæc fatiscat
Mens mihi, iam viribus ægra demptis;
Tu meum solamen es ó IEHOVAH,
Præsidiumq;.
Tu mihi es sors vnica portioq;
Certa, tu firmas iterum hos & artus
Robore, ac donas animam salute è
Morte redemptam.
Sed Deos qui spe stolidâ, relictâ
Te Deo, vanos venerantur, hisq;
Exhibent cultus tibi competentes
Hos & adorant,
Nempe scortantes; penitùs subactos
Cladibus tollis medio cruentis,
Omnibusq; aufers animas, & aurâ
Exuis illos.
Sed mihi est hæc lætitia & voluptas
Summa, sectari Dominum, morari
Huius in vultu ac oculis quietè,
Rebus in âsprîs;

Spemq; in hoc vno Domino DEO q;
Ponere, vt cunctis vacuus periclis,
Illius narrem spacioso in orbe
Inclyta facta.

PSALM. LXXIV.
Vt quid DEVS repulisti.

O Parens rerum pie, cur repellis
Nos, recedens nostro ab amore prorsus?
Ira cur sauit tua sic furoris
Feruida & ardet.
In pecus valde pauidum, gregemq;
Tradidit qui se tibi soli, & alma
Pabula exoptans fidei tua com-
misit alendum.
Sis memor cœtus tibi quem parásti
Sortis & pridem tibi qua redempta est:
Respice electam Domus atq; sedem in
Monte Zionis.
Iam DEVS consurge pedesq; tolle
Vindices, & contere durus hostes,
Prepotens altoq; loco superbos
Deijce ad ima.
Qui tui sacraria culta templi,
Sic profanarunt manibus nefandis,
Fecerint fœdam vt maleferiati
Indè rapinam.
Gens tibi contraria vocem ad auras
Tollit ingentem, fremitu & boatu

Rugiens

Rugiens, idola locatq; sacras
Horrida ad aras.
Per tuas victricia signa & vrbes
Ponit, expanditq; trophæa latè,
Ex tuâ signis penitùs sacratis
AEde remotu.
Ira bacchatur, micat & securis
Lctibus sublata, fragor ruentis
AEdis it, ceu cœdua sylua ramis
Arboribusq;,
Edit excisis sonitum strepentem:
Malleis contusa iacentq; templi
Tecta cœlata, & populatur ignis
Clausira sacrata.
Nomini sedemq; tuo dicatam
Cultibus fœdè violant profanis,
Gloriam extirpare tuam volentes
Funditùs omnem.
Corde sic secum tacito minantur;
Diruamus iam genus omne sacrum,
Cuncta & in prædam studeamus vnà
Vertere nostram.
Feruidis misére domos IEHOVAE
Ignibus, conuentus & omnis ardet,
Cultibus quem relligiosa sacris
Turba agitabat.
Hanc pij fundunt animis querelam.
Ergò · Iam non signa fauoris vlla
Cernimus, quondam patribus supremo
Qualia misit

Plurima è cœlo DEVS; ah relictis
Nemo iam nobis superest Propheta,
Nec rudes qui nos doceat magister
Cernitur vllus.
Iam datur, qui dicere vera possit,
Nemo, qui dictis animi leuetué
Feruidos æstus, recreetué blandis
Pectora spebus.
Magne Rex supreme Deus IEHOVAH,
Vsq; quò infestus probra dicet hostis?
Semper illudet nè tibi nefandis
Impius ausis?
An sines blasphema ferat tremendum
In tuum nomen sine fine verba?
Cur tua est auersa DEVS miselli
Dextera vindex?
Qua fuit quandoq; salute nobis
Obuia afflictis; placido sinu quid
Depulit dextram? tua qua solebas
Antè fouere
Pignora; vt molli gremio recondit
Et fouet lactans sua cara mater
Blanda, nec curam sobolis tenellæ
Abijcit vnquàm.
Tempore à prisco DEVS es mihi tu
Rexq;, tu terramq; salute donas
Promptus optatâ, populis tuisq; es
Auxiliator.
Tu potente olim mare diuidebas
Vi tuâ, intra vndasq; caput Draconum

Ipse fregisti, pede tuq; duro im-
mania cete
Contudisti, fercula opima præbens,
Quæ vorent qui tesqua colunt eremi,
Et greges muti sub aquis natantes
Oee voraci.
Riuulos è rupe dedisti & olim
Limpidos; repressa tuo profunda
In modum exsiccata fuêre arena
Flumina iussu,
Excipiet quòd clara dies opacam
Noctem, & obseruat nitidus tenorem
Sol suum, & stella pariter, potens tu
Id facis omne.
Singulis ponis regionibus tu
Ipsemet fines, patulum per orbem;
Legibus formosa tuis sit æstas
Horrida hyemsq;.
O DEVS *nunc ergò memento, quanta*
In tuum nomen probra fundat hostis,
Quàm tuum gens stulta sacrumq; pergat
Spernere nomen.
Turturis ne trade tuæ vorandos
Bestijs artus animamq; caram,
Nec tot infestis DEVS *oro telis*
Obÿce inermem.
Ne tui obliuiscere durus vltrà
Pauperis cœtus; memor esto pacti
Sed tui: nunc res quoniam requirit
Ipsa salutem.

Terra enim vastata iacet, domusq́
Diruta passim, in cineresq́ versi
Patrij sunt luctificâ à Tyrannis
Clade penates.
Ne sinas viles humilesq́ abire
Tot malis fractos penitùs, pudore
Territos tristi, & miserè querentes,
Tempore tanto;
Asserit dum nemo nihil merentes
Arbiter, nec cernitur vllus vltor
His, tuum qui nomen honore digno &
Laudibus ornant.
Cœlitùm rector bone, iuste vindex
Et potens, iam te solio supremo
Effer, & qua causa tua est, eam tu
Ipse tuere.
Fac memor cernas populi furentis
Probra; quæ fundit tibi continenter;
Negligas nec te malè tàm prementùm
Ora proterua;
Nempè clamores rabidos, tumultu
Feruido quos æthera ad vsq́ tollit
Insolens infesta, tibiq́ semper
Turba tuæq́.
Reprime & compesce DEVS furorem
Hostium dextrâ validâ tuorum,
Ah veni, festinus ades gregemq́
Asserе spretum.

PSALM. LXXV.

Cõfitebimur tibi DEVS.

IAm tibi Rex ſumme Deus IEHOVAH
Dicimus grates meritò, decente
Laude te grati celebramus vnà, in
Agmine ſacro.

Nam tuum præſens miſeris adeſſe
Cernitur numen recreans puſilla
Corda, res miras faciensq;, iuſtum eſt
Quas memorare.

Cùm dies, inquit Dominus, ſupremus
Venerit, iudex ego iuſtus, æquus
Arbiter dicamq; feramq; iura
Omnibus æqua.

Horridis en montibus alma tellus
Diſſilit, cunctiq; tremunt pauore
Incola illius; ſtatui ſed ipſe hûc
Vsq; columnas

Illius firmas, reparans ſubindè
Rurſus auulſam, trepidamq; molem
Vincla per nectens, noua ſæpè ſubdo
Fulcra refecta.

Quin ego faſtu tumidis ſuperbo
Dixeram; deſiſtite vana ſtulto
Corde iactare, alta nimis gerentes
Cornua torui,

Viribus ne fidite mente capti
Sic nimis veſtris, nihil vt pericli
Aut ab Aurora metuatis, aut à
Sede Fauoni;

Nil & à Zonâ Boreâ ferocis,
Imò nec quicquàm nebuloso ab Austro,
Nec vel infestis Lybicis ab ortis,
Nilq; ab Eremis.
Nam DEVS ceu arbiter æquus atq;
Integer iudex, humiles in altum
Tollit; at versâ vice mox superbos
Trudit ad orcum.
Pocla enim repleta mero IEHOVAH
Dexterâ rubro tenet, vndè fundit
Largiter quantum satis est cuiq;
Atq; salubre;
Sed quod excretum residet supino
Fecis in fundo, patulis profana
Faucibus gens hauriet, impiusq;
Ebibet omnis.
Ast ego hæc seros memorabo in annos
Et Dei laudes (genus Israëlis
Corde quem puro veneratur vnum)
Carmine psallam.
Robur & quo turba superba præstat,
Ipse confringam, pedibus teramq;
Impiorum cornua, queis proteruè
Quod libet audent:
Tum caput iusti vel ad alta tollent
Sidera, assumentq; decus vicissim
Quaq; durabunt capient perenne
Robora in æuum.

PSALM. LXXVI.

Notus in Iudæâ DEVS in Israel.

GEntium Dii marmora sunt & aurum,
Quæq; quos finxit sibi cultor arte;
Sed DEVS quem Iuda colit fideq;
Inuocat vnum,
Verus est magnusq; Deus IEHOVAH,
Cuius agnoscit celebratq; nomen
Israël sanctus, Solyma Zionis
Qui tenet arcem.
Cuspides arcus ibi fregit idem
Fortis ignitas, clypeosq; & enses,
Sustulit funestaq; bella, pacem
Fecit & almam.
Viq; tu famaq; potens, ferarum
Agmina in celsis superas & áspris
Montibus, summa est quibus hæc voluptas
Viuere rapto.
Præda victori tibi cedat omnis
Corde robustis spoliatâ; fortes
Pralijs, somno capiantur alto
Planè & inerti.
Qui manus bello fuerant sueti
Ferre, & ad dextram fugere in periclis
Vltimis, his languida iam queat nil
Ferre salutis.
O pij tutela DEVS Iacobi,
Incutis dum voce metum tremendâ
Obrutis somno grauiore, sidunt
Currus equiq;
Tàm tuum terrensq; potensq; numen

Est enim, vt nemo queat ire contrà,
Ira cùm ferulet tua, sustinere
Nec queat æstum.
In scelus sententia lata olympo
Cùm tonat; tellus fremitu tremiscit,
Incolæ terrore pauent acuto, &
Cuncta silescunt.
Quando sese effert solio IEHOVAH
Iudicans orbem, miseris salutem
Fert pius, quos læserat antè acerba in-
iuria terræ.
Cùm furunt te contra homines proterui,
Viribus freti validis; vel inde
Nominis famam meritâ reportas
Laude celebrem.
Sed magis quando ira furorq; crescit
Barbara gentis, tua dextra vindex
Robur assumit, reprimens potentes
Viribus hostes.
Vos quibus protector adest IEHOVAH,
Et DEVS vester pia nuncupate
Vota, & hæc exsoluite sponte eidem
Et sine fraude.
Ferte iam lætis animis tonanti
Dona, qui frangit procerum superbos
Spiritus, auffert animos Ducumq;
Maximus ille
Rex, & immensi dominator orbis,
Regibus terræq; tremendus vltor;
Quem pauent omnes populi feroces
Atq; Tyranni.

PSALM. LXXVII.

Voce meâ ad Dominum clamaui.

VOce cùm clamo querulâ IEHOVAE,
Vocemq; intentâ magis instо supplex;
Audit is præsens placidâ accipitq;
Aure querelas.
Rebus in duris Dominum requiro,
Dexteram extendens sine fine totâ
Nocte, qua nec lassa remittit vllo
Tempore quicquàm.
Sic enim mens fracta mea est dolore
Improbo, vt solatia amica prorsùs
Respuat, nullique locum medela
Anxia linquat.
Æger, afflictus, mala totq; passus
Dura, conflictansq; malis acerbis,
De Deo tantùm meditor gemiscens
Pauca locutus.
Luminum tu claustra tenes meorum
Quo minùs dulcem capiant soporem.
Sic iacent vires, ita torpor artus
Occupat omnes:
Lingua ne formare satis loquelam
Amplius possit, nec ab ore sermo
Exeat, qui quod latet in profundâ
Mente reuelet.
Nunc dies secli meditor priorus,
Priscaq; vitali repetoq; sensu

Tem-

Tempora, & qui prateriêre longi
Ordinis annos.
Nocte dum laudes recolo, sonoris
Quas tibi latus fidibus canebam,
Et lyræ suauis modulabar olim
Carmine docto.
Spiritus cor solicitis pusillum
Implicat curis: varieq; secum
Disputat, scrutatur & ægra luctans
Mens ita quærit:
Nunquid æternis Dominus repellet
Seculis nos? annè animum paternum
Exuit tandem, bonitatis omnis
Prorsus vt expers?
Amplius mitisnè bonus fauensq; est?
Iamnè defecit pietas ab ipso?
Siccinè est promissio nacta finem,
cesset vt vltrà?
Nunquid oblitus misereri, ab irâ
Sic graui accensus? velit vt deinceps
(Clauserit ceu viscera) deprecanti
Parcere nulli.
Sed satis pressus grauiter, remisso
Pectore inquam; quo dolor heu acute
Iam mage impellis? decet ob nefandos
Ferre reatus
Talia, infracto & patiente corde;
Namq; nil hic cura grauis iuuabit,
Sola sed dextra, in melius, IEHOVAE,
Omnia vertet.

Ergò præclarè Domini recordor
Gesta, quæ prisci stupenda seclis
Edidit miracula, mente volvo &
Prædico linguâ.
Conditor supremeq; rector orbis,
O DEVS, sancta est tua semper atq;
Recta, quâ quos diligis ipse sanctos,
Semita, ducis.
Quis Deum virtute potente adæquat;
Num quis est talis DEVS, esse noster
Ceu solet? cui gloria, laus, poresta
Competit uni.
Tu DEVS miranda facis, tuumq;
Nosse das rebus populis superbis,
Fortis è duro populumq; carum
Carcere ducis.
Scilicet prolem Isacida fidelis,
Et piam casti sobolem Iosephi,
Ipse queis arctissima vincla quondam
Tu soluisti.
Te DEVS vastum mare vidit, altum
Numen immensi pelagiq; abyssus
Vidit, & fluctus trepido pauore
Contremuerunt:
Nubibus densis lapidosus imber
Grandinis fusus, fremuit cadendo,
Et fragor cœli vehemens tonantis
Perculit aures.
Fulminum cursus peragrauit oras
AEthcris, lustrabat & ardor orbem

Flam-

Flammeus; fundo pauefacta ab imo
Terra tremebat.
In mari constrata tibi patebat
Semita infido, pedibus subibas
Caruli siccu vada cœca ponti &
Flumina magna:
Ast iter fluctus saliens refusus
Clausit immersis Pharijs quadrigis;
Et tamen sunt signa pedum tuorum
Nulla reperta.
Tu, velut pastor bonus & fidelis
Ducit ac defendit oues tenellas:
Sic tibi cari populi cateruas
Ipse regebas.
Almus vt blandusq; pater, per vndas
Spumeas ducens validâ potentûm
Mosis Aaronisq; manu ministrâ, ad
Iussa sequaci.

PSALM. LXXVIII.

Attendite populo meus legem meam

GEns mihi dilecta, animisq; puris
Me colens, sanctæ pia scita legis
Audi, & attentè mea dicta disce
Riteq; serua.
Os meum exemplis veterum resoluens,
Ardua & secreta loquar, referre
Quæ diu obscuris latuêre promptus,
Mersa tenebris.

Non modò quæ audita tenemus ipsi,
Sed patres prisci retulére nobis,
Posteris narrare decet, futura vt
Secula nôrint.

Et DEVS fiat meritâ celebris
Laude, qui præclara potente gessit
Dexterâ, mirandaq; facta celsis
Viribus, vnus.

Nam parens rerum sibi iunxit olim
Fœdere æterno Isacidûm fidelem
Gentem, & Israêli dedit ipse legis
Iussa verendæ.

Patribus præcepit & hæc docere
Filios, longâ serie & nepotes,
Hisq; prognatis itidem futuræ
Tradere proli.

Figerent vt spem memorem salutis
In Deo, præcepta nec his supremi
Regis è mente exciderent, sed ista
Ritè tenerent.

More nec patrum fierent rebellis
Gens, minùs firmis animis labantûm.
Spiritus queis ante DEVM proteruè
Perfidus hæsit

Sicut Ephræmi soboles, in arcu
Fortis, ac armis benè cincta quondam
Prælia effugit trepidans, deditq;
Terga, timore

Percita infami ante tubas, bipennes
Telaq; abiecit, latebris salutem

(Opu-

(O pudor) quærens; nimiùm sed audens
Tempore pacis.
Quin Dei rupêre fidē tenendum
Integrâ fœdus, monitisq; legum
Improbè spretis, vihil (ô piaculum)
Erubuerunt.
Quippè iam planè immemores IEHOVAH
Gesserat qua facta stupenda priscis
Seculis, quàm præstiterat q; digna
Plurima laude..
Ille enim coram patribus patrauit
Mira & ipsorum proauis, Zoánis
Atq; Misræis riguis in agris,
Nilus inundat
Quos vagus: diuisit & æquor amplum,
Per mare educens populi cateruam,
Et velut murum statuens aquarum
Inter aceruos.
De die errantes duce nube rexit.
Nocte at obscurâ præeunte flammâ
Igneâ actutùm, rutilantis vsq;
Lampadis instar.
Rupit in vastâ solidas Eremo
Is petras, gratasq; dedit molestâ
A siti pressis nimiumq; anhelis
Largiter vndas.
Quin & è saxo salientis vndæ
Riuulos erumpere iussit idem,
More, qui fluxêre dein' per arua,
Fluminis vltrò.

Amplius peccare tamen IEHOVAE
Mente perrexêre malâ rebelles;
Sic & offendêre magis supremum
Per vaga tesqua.
Haud Deum tentare animis verentes
Prorsùs ingratis, petiêre fercla
Quæ gulæ possent satiare luxum &
Inguina ventris.
Insuper sunt multa DEVM locuti
Contra, & hæc dixêre procace linguâ:
An DEVS mensas queat hîc parare
Vbere pastu?
Quippè eo nuper feriente cautem,
Fons aquæ dulcis subitò fluebat
Instar & riui salientis undæ
Copia larga.
Sed suo an panes populo cupitos,
Munus & præbere valebit idem
Carnium, & ventris satiare lautis
Inguina ferclis?
Haud eî, dixêre, datur potestas
Tanta; quod cœlo residens IEHOVAH
Audijt, succensus & est furoris
Feruidâ ab irâ.
Inq; Iacobi genus omne cœpit
Ignis exardescere, flamma stirpem
Vssit Israëlis nimiùm proteruam.
Et malè gratam.
Nam Deo non fidere, more patrum,
Reproba ac incredula turba nouit,

Spem nec hunc certam solidæ salutis
Ponere solam,
Et tamen sortem miseratus agram
Gentis infidæ, pater almus vltrò
Anxijs votis dedit esse victum
Sæpè petitum.
Quippè qui cœli patefecit ampla
Horrea, & nubes dare manna iussit
Roris in morem pluuij, haud profana, at
Fercula Dîa.
Panis indulsit pater ille missi
Cœlitùs mortalibus almus vsum;
Colligens quem quisq; sibi comedit
Vir mulierq;.
Euro & exacto æthereus Notoq;
Turbido campis, pluit ille carnes,
Nempè pennatas glomerati in vnum
Pulueris instar
Fudit ac imbres volucrum sonoros
More arenarum numero carentûm,
Castra quæis repleuit & arua circum
Vndiq; culta.
Tùm fames expleta epulis resedit;
Nec tamen cessit stimulans libido.
Quippè permittente fuit IEHOVAH
Exatianda.
Ergò adhûc harente cibo voraci
Ore; adest vltor DEVS en repentè,
Principes fortesq; viros trucidans
Vindice dextrâ.

Inter

Inter hos lecta simùl Israëlis
Flos (quod horrendum) cecidit iuuenta,
Morte, qua summos pede pulsat æquo,
Liuida, & imos.
Sed nec his gens mota fuit rebellis
Omnibus; (sint vera licet) proteruè
Quin magis peccare Deo libido
Improba suasit.
Illius miracula magna spreuit,
Nec fide dignata fuit tenaci,
Numinis quæ prodita vi fuêre
Antè supremi.
Ergò præfractis animis rebelles,
Morte deleuit subitò cruentâ,
Posset vt nemo patribus dicatam at-
tingere terram.
Fila succidit fragilis senecta
His quidem; sed duriter antè pressis
Cladibus sæuis miserizq;, toto
Tempore vitæ.
Quando puniret grauiùs IEHOVAH,
Improbos, nec cœdibus esse finem
Cernerent, sunt manè reuersi ad ipsum,
Pectore prauo,
Nempè fallaces, simulare sueti
Cordis affectum, memoremq; mentem;
Quòd sua tutela salutis vnus
Atq; redemptor
Sit DEVS celso residens olympo:
Scilicet sic ore dolosa blando

Verba fundebant, animo DEVM mendace parati
Fallere, heu, quem fallere nemo quibit;
Cor erat firmum minùs illi adhærens,
Nec fides seruare tenax sacrati
Fœdera pacti.
Et tamen clemens Dominus, remisit
Improbis delicta patrata rursus,
Iure nec deleuit eos seuero
Funditùs omnes.
Sed suum compescuit ipse nasum
Sæpè, nec bili facilis calenti
Frena laxauit, miserùm misertus
More paterno.
Nam memor nouit fragilis quòd omnes
Sint caro, vanis similesq; ventis,
Transeant qui more fugacis vmbræ,
Non redituri.
Plurimis illum vicibus nefando
Crimine irritare nihil verentes,
Vasta per deserta magis proteruè a-
cerba locuti.
Quippè qui certum voluêre tempus
Numini præscribere opem ferendi,
Arcta & Israelis Domino potenti
Figere signa.
O nimis gens praua nimisq; demens,
Quæ DEVM (qui continet vnus orbis
Fabricam immensi) breuibus sit ausa in-
cludere metis.

Prorsùs obliti benefacta, quondam
Quæ suâ virtute DEVS IEHOVAH
Præstitit dextrâ, populo insolente ab
Hoste redempto.
Quin & in regnis Pharijs peramplis
Edidit miracula tot stupenda;
Signaq; in terrâ Zoanis feroci
Marte superbâ.
Pura cùm sunt flumina versa in atrum
Sanguinem, vt nemo indè sitim leuare
Posset arentem, velut antè, anhelis
Faucibus ardens.
Omne muscarum genus atq; vespas
Misit, ac infecta quibus comedit
Perfidos; ranas pluuio intulitq; vt
Imbre palustres.
Germina illorum dedit exedenda
Horrido brucho, & segetes locustis,
Quæ truces sæuire solent in arua
Culta coloni
Grandinis dira, velut imbre, vites
Turbido, & moros rigidâ pruinâ,
Et pecus confecit inerme, fortes
Atq; iuuencos
Fulmini horrendo dedit, angelosq;
Pessimos immisit eis, furore
Percitus sæuo, afficiens rebelles
Cladibus atris:
Conscius dum pectora oberrat ægra
Horror, infestans stimulis acutis,

Et nimis terrens trepidante plenis
Anxietate.
Tum magis naso infremuit furori
Liberè indulgens fera frena iusto;
Tradidit cunctas animasq; pesti
Et pecus omne.
Primo & AEgypti genitos cecidit
(Roboris florem, baculum senecta)
Quin feri haredesq; Chami domus quot
Fouerat ampla.
Scilicet sic est Pharij tyranni
Aula trux experta simulq; caula
Numen infestum & meritas nefando
Crimine pœnas.
Sed sibi electum populum IEHOVAH,
Ceu oues ad pascua amœna ducit
Pastor, eduxit, loco perq; Eremi
Auia rexit,
AEquoris marsis refluis sub undis
Hostium turmas, subitò vt perirent
Impij tandem, & sua digna factis
Præmia ferrent.
At sui electam populi cohortem
In sacros fines, loca sancta montis
Duxit, acquisiuerat ipse quondam
Quem sibi dextrâ.
Barbaris, è finibus hisce, pulsis
Gentibus, metirier ampla iussit
Prædia, & pingues paulos & agros
Sortibus aquis:

Cessit & partem Abramidis opimam
Incolis, tentoria quaq; gentes
Fixerant, dedit tribui Israëlis
Iure tenenda.
Sed grauis non altitonantis ira,
Illius nec gratia multa fecit,
O pudor, quò gens malè fida prauis
Post modò factis
Abstinens, tentare DEVM caueret;
Quin mage irritare furoris æstum
Improbè adiecit pia negligendo
Fœdera pacti:
More defecêre patrum rebelles,
Cuncta spernentes benefacta IOVAE.
Vt leuis, tantumq; minax ferire,
Flectitur arcus;
Et modò se in cornua torta curuat,
Dexterá intenso iaculante neruo,
Sed redit mox in faciem remisso
Sponte priorem:
Haud secùs gens impia fortè pœnâ
Vindice amotâ, redijt subindè
Rursus ad sese, statuens Deorum
Numina falsa:
Erigens aras iuga perq; celsa,
Et colens lucos virides profano
More; sic IOVAM calidasq; sæpè accendit in iras.
Hæc DEVS percepit vt aure acutâ,
Sæuijt iustâ vehementer irâ;

Israel longeq; suo paterno
Pectore abegit.
Sic quidem vt delecta habitacla Siloh
Sperneret, vicina hominumq; cultu
Linqueret tentoria, & antè quas e-
legerat aras.
Robur illorum, decus omne, splendor
Cessit in prædam violenter hostis,
Qui tulit secum monimenta cuncta, &
Fœderis arcam.
Tradidit gentem gladijs amatam
Nuper, iratus reprobam IEHOVAH;
Ignis absumpsit iuuenes eorum
Robore fortes.
Intarum sacranda nouum puella
Venit, vt non digna toro iugali,
Carmine haud dignata sacro, & decente
Laude hymenæi.
Ah sacerdotes miserè cruento
Ense sunt cœsi, nec erant in oris
Hisce qui flerent vidua reperta
Tristia fata.
Orba nec lugere sui mariti
Vspiàm est conspecta puella cari
Funus, heu, præ nimio stupore
Pectoris ægri.
Ast vbi tandem Dominus furorem
Misit, & pœnis satiauit iram
Tristibus, pridem meritam nefandis
Scilicet ausis:

Excitus

Excitus somno veluti profundo
(Vt mero feruente solutus heros
Exilit, pleno & crepat ore cantans
Iubila lata.)

Præpotens hostes trepidam feroces
In fugam vertit, feriens eorum
Terga, & aspergens maculâ perenni
Tempore fœdâ.

Non tamen tentoria clara Ioseph,
Nec tribum Eframi validis vt armis
Esset insignis sibi legit; illi
Regia sceptra

Vt daret: sed magnificum IEhudæ
Stemma ei lectum est, & amata montis
Arx sacri, sedes placita estq; celsa
Alma Zionis.

Atria hîc constructa sibi parauit,
Templaq; & sacraria culta fixit,
Cum polo & stellis sine fine quæ man-
sura nitebunt.

Dauid elegit famulum fidelem
Et pium; quem lanigeri gregis de
Sustulit caulis ouibusq; fœtis,
Rite vocatum;

Regiaq; hunc imposuit cathedræ,
Iacob vt ius diceret Israëliq;,
Esset & pastor populis, daretq;
Pabula lata.

Is gregem curâ vigili Magister
Impiger pauit, studio & fideli

Rexit, à crudelibus hostibus de-
fendit & armis.

PSALM. LXXIX.

DEVS, venerunt gentes in hæred.

SVmme Rex Divûm, dominator orbis
Totius; cûi sancta suas salutes
Debet & cultus, pia dona & almæ Ec-
clesia pacis:
In tuam inuasit violenter hostis
Barbarus sortem, temerans profanis,
Nomini de more tuo dicatam,
Ritibus, ædem.
Obiacent passim famulûm tuorum
Membra cœli pennigeris, per agros
Bestijs carnesq; piorum opima
Esca voranda.
Vndiq; in campisq; videntur ossa,
Sparsa, quæ nec colligit vllus vsquàm,
Nec pio dignatur honore amicus
Lecta sepulchri.
Innocens sanguis Solymamq; circum
Diffluit, ceu riuus aquis abundans,
Et velut torrens subitò niuosis,
Imbribus auctus.
Accolis probro sumus heu malignis,
Extero ridemur ab hoste acerbè
Insuper ludibrio habemur oris
Finitimisq;.

Annè sic ô sancte parens ab irâ es
Feruidâ incensus, statuisse zelo
Vt modum iusto nequeas, flagret quin
Ignis vt ardens.
Impetum conuerte tui furoris
Gentium in tot Regna superba, numen
Quæ tuum spernunt, precibus tuum nec
Nomen honorant.
Nam tuum exedêre gregem tyranni,
Atq; Iacobi sobolem domumq;
Cultæ vastárunt, simul furentes
Ignibus arua.
Ah pater nostras meminisse culpas
Quæsumus noli veteres, miserte
Præueni sed nos bonitate egenos
Atq; pusillos.
Tu DEVS, nostræ columen salutis,
Adiuues nos, nam potis es iuuare
Solus; ah dignere opifer misellis
Promptus adesse:
Vt tuum clarescat in orbe nomen
Gloriæ splendorq; tuæ, globoso:
Parce delictis, redimens periclis
Fraude paratis.
Gentium cur quæso sines profano
Ore dicatur: DEVS annè eorum
Amplius viuit? populi istius ne
Est DEVS vllus?
O potens, ô iuste DEVS, seuere
O DEVS vindex, famulûm tuorum

Sanguinis fac conſpiciatur hiſce
Vltio ocellis.
Gentibus cunctis ea nota fiat,
His quibus fudiſſe pium cruorem
Ardor eſt ſemper vehemens, & vna &
Summa voluptas.
Ah vide triſtes gemitus, amaras
Atq; captorum lachrymas, tenet quos
Carcer in vinclis rigidis cauus ſqual-
lore repletus.
Arduâ virtute tui lacerti
Liberes de fauce auidâ rapacis
Mortis, heu iam iam malè deſtinatos
Cœdibus atris.
Ter ferat vicina quaterq; turba
In ſinu, pro ludibrijs probriſq;
Impijs, qua in DIA tua euomebant
Numina, pœnas.
Sed tuus nos cœtus, ouilis imò
Grex tui, quem ducis, alis, tueris
Prouidus, caulisq; reducis ipſe
Numine dextro;
Dicimus grates tibi, te canentes
Et tuas laudes ſine fine, cunctis
Seculis, dum ſidera fixa current
Mobili in orbe.

PSALM. LXXX.

Qui regis Iſrael, intende.

Rector ô custosq; pia fidelis
Gentis Hebrææ, sobolem Iosephi
Qui, velut pastor pecudem bidentem,
Numine amico
Blandus educens, alis ac tueris;
Da fauens nostris facilem querelis
Aurem, & in Cherub residens benigne
Aspice vultu
Nos, tuæ vim nôsse potentiæq;
Fac, vt Ephræmus Menasesq; quondam, &
Beniamin vidêre palàm paterni
Signa fauoris.
Adueni promptus cupidis salutis,
O DEVS, nos erige tu iacentes
Viuido solamine, patriamq;
Porrige fessis
Dexteram; tu si videas benigne
Lumine afflictos, tenebras fugabis
Mentibus nostris, erimus tuoq;
Munere salui.
Rector ô exercituum IEHOVAH,
Quem modum tandem statues furori?
An tui prorsùs populi preces nè
Votaq; spernes?
Lachrymis pro pane cibas amaris,
Pro mero potas miserosq; fletu
Heu nimis largo, sumus heu dolore
Ebria turba.
Aspra vicinis sumus heu superbis
Iurgia, & ludibria dira sœuis

Hostibus passim positi, sumusq;
Fabula vulgi.
O DEVS rex armipotens, precamur
Supplices, vultus radiâ benigni
Nos tui splendore, salus eritq;
Reddita nobis.
Tu solo vitem Pharia feracem
Ipse tradúxti, penitusq; pulsis
Gentibus, tantùm tibi culta vitis
Hæc manet vnæ.
Fertilem inflexis posuisti amœno
Hanc loco radicibus, vt repleret
Ampla tellurem grauidis racemis
Latiuagusq;.
Induit montes gelidos & vmbra
Illius, texitq; cedros olentes
Libani, quâ sparserat æqua longus
Brachia palmes.
Germen illius mare tangit altum
Et comis vndas fluuij, vocant quem
Accola Euphraten veteres, celebri
Nomine clarum.
Ergò cur talis, benè tamquè culta
Vineæ sepem modò diruisti?
Hospiti vt sit cûiq; relicta præda
Pratereunti.
Hanc aper sæuus populatur, heu.
Hancq; depascit fera bruta campi,
Bestiæ hanc terræ omnigenæq; carpunt
Ore voraci.

Fortis ô exercituum IEHOVAH,
Nunc redi tandem, athereaq́ sede
Visitans vitem memor hanc serenâ
Respice fronte.

Hanc & instaurans iterum tuere,
Dextra plantauit tua quam tenellam
Olim, & electum tibi germen ipsi
Indè reserua.

Ramulum fac hunc placidus subindè
Vise, & huic tu conciliare robur
Pergito cultu assiduo, tua vt sic
Gloria crescat.

Ah vide, compesce furorus æstum
Vitium, ne brachia flammà feruens
Deuoret; neu scissa ruant eantq́
Omnia pessum.

Fac tuum serues populum potente
Dexterâ affectu patrio tuere
Quos tibi elegisti homines fauore
Numinis almi.

Nusquàm à te sancte parens abire
Accidet nobis modò longiore
Dante te, vitâ in celerem senectam
Vsq́ fruamur.

Nominis sic cura tui sacrati
Omnibus nobis erit vna cultus;
Mente sic gratâ tibi iugiterq́
Vota feremus.

O DEVS *rex armipotens precamur*
Supplices, vultus radia benigni

Nos tui splendore, salus erit q,
Reddita nobis.

PSALM. LXXXI.

Exultate Deo adiutori nostro.

IAm DEO latâ resonate laudes
Voce, qui nos robore firmat, olim
Quem DEVM sensit genus Israëlis,
Omne benignum.
Hûic lyra suauis Citharaq; psalmos
Ludite, edentes melicos canoros
Nec chelys, nec tympana, nec sonora
Nablia cessent.
Buccinas inflate sacris calendis,
Cum refert nobis stata festa pernix
Luna, sole albo renouante menses,
Clangite cornu.
Sic Tabernarum quoq; festa more
Sacra seruantur solito quotannis;
Israël multis velut antè seclis
Lege recepit.
Nam DEVS ius hoc statuit Iacobo,
Isaci stirpi patrioq; amore
Hac pia testata sacri reliquit
Fœdera pacti.
Quando iam terras pharij tyranni
Liquerant docti peregrina lingua
Verba non nota sibi, verba tantùm
Nota colonis

Barbaris; seruile humeros ferentûm
Cùm premens curuaret onus, manusq;
Olla làssaret, iuga tàm molesta
Ipse remoui.
Cùm malis pressus prece me vocarem
Supplice, audiui, miseroq; sospes
Adfui, cœlo intonuiq; nube
Conditus atrâ.
Et tui propter Meriba periclum
Feci aquas, pessum rapidæ dedissens
Penè te quando, tua tot probrosa
Lurgia passus.
Gens mihi dilecta, loquentis audi
Verba, fac prabe monitis sequacem
Israël te spontè meisq;, tecum
Quæq; paciscor
Accipe, & seruare piè memento:
Ne DEVM fingas tibi prater vnum
Me, meum numen venerare tantùm &
Vnicum adora.
Sum tuus namq; ille Deus IEHOVAH,
Quo duce è terris Pharijs es olim egressus, os poscens aperi, auferesq;
Plura petitis.
Is sed infidus populus nec audit
Verba nec curat mea; quin proteruè
Israël parere meis recusat
Legibus aquis.
Ergò ego tales, malè tamq; gratos,
Consil Is prauis penitùs reliqui;

Sumq; quâ præceps ageret libido
Passus abire.
Obsequi gens ista mihi studeret
Si modò, ad mentem sapiens reuersa,
Israël rectos modò si teneret
Me duce calles:
Ipse delerem subitò feroces
Quos timent hostes, mea dextra vindex
Tolleret gentes medio profanas
Protinus omnes.
Spebus incertis malè crediliq;
Excident, quicunq; odijs malignis
Perfurunt contra Dominum rebelles
Sic sine causâ.
Omne sed feliciter vsq; in æuum
Transigent vitam Dominum colentes
Ritè, quos reddet saturos benigni
Munere farris.
Hisq; de durâ dabit ipse rupe
Mella, quin replebit eos fluentis
Dulcibus, passim riguis per arua
Nescia cultus.

PSALM. LXXXII.

Deus stetit in synagogâ Deorum.

IN Dei magno DEVS ipse cœtu
Præsidet iudex, medius Deosq;
Inter exercet sua iura & vnus
Iudicat omnes.

Sic ait: vobis fuerit nè tandem
Iudicl praui modus? an pudet nè
Improbos præferre bonis, iniquè
Lance fauoris?
Orphano tutore pio carenti
Pauperiq; æquum date ius subactos
Imperls sœuis releuate, opemq;
Ferte miſellis.
Dicta sed curant mea prorsùs iſti
Nil, meus nemo monitisq; paret
Amplius; mentes ita cœcus error
Obſidet altas.
Ergò fundamenta simùl ſoluta
Incubat queis terra grauis, vacillant;
Iudicant lites quia mente capti, &
Iura miniſtrant.
Vos ego appellare Deos ſoleham.
Quos necis vita dominosq; feci.
Filios omnes pariter vocatos
Altitonantis:
Quin manu vos ſceptrîferâ tueri
Pacis optatæ placidæq; munus
Iuſſeram, fortes cohibere & armis
Horrida bella.
Fata sed vobis venient ſeuera, &
Luce priuatos raptent ſub orcum,
Plebis vt fecem reliquam infima, diſ-
crimine nullo.
Tu DEVS ſurgendo capeſſe leguin
Frena ſacrarum, arbitrioq; terras

Tu tuo ceu terrigenas & omnes
Corrige dexter.
Regna nam tu Regibus ampla cunctis
Ipse dispensas, dominator orbis,
Omnibus qui gentibus es colendus
Vnicus hæres.

PSALM. LXXXIIII.

DEVS ne taceas neq; fileas.

NE DEVS cunctere nimis tacendo
Surdus, ah ne sic fileas, tuorum
Supplicum nec sperne preces, nec aure
Respue durâ.
Nam tui, cernis velut ipsus, hostes
Sœuiunt magno fremitu furentes,
Erigunt cristas odio tuiq;
Mente superbi.
En tuum captant populum dolosis
Consilis & dira tuis minantur
Intimis, cultu fidei tuæ qui
Delituére.
Hùc adeste, aiunt, properàte, tales
Funditus succidite, ne Israëlis
Sit memor quisquam, superet nec vllo
Hoc genus ævo.
Namq; te contra cõiere in vnum
Barbari, gentesq; profana iniqua
Pacta fecerunt tua deleant vt
Sacra statuta.

Irruunt in te populi rebelles
Impetu hostili, violenter armis
Cœlicâ turbare feris parati
Sede tonantem:

Nempè Idumæus vagus Ismaëlq;
Cùmq; Hagarenis soboles Moabi,
Gebali, Hammonisq; genus superbum &
Amalechita.

Et Philistini, Tiriiq; & Assur
Posteris Lothi sua castra iungunt,
Inuicem sesé; iuuare certant
Viribus aquis.

Sed DEVS fac sterne solo subactos
Efferos, quondam veluti iuuentus
Te vias passim Madiana texit
Vindice cœsa.

Concidant fac, vt periit superbus
Sissera, & sicut rapidis in vndis
Cissonis, Iabin sua fata mersus
Tristia sensit.

Fac velut quondam iacuére in agris
Endor, infleta veteris caterua;
Sic palam fiant odiosi olens vt
Putre cadauer.

Principes horum populi ducesq;
Fac velut Zebus, Sebeus & Oreb
Salmana & dines pereant cruentâ
Morte cadentes.

Sœua te circum sua qui locârant
Castra, dicentes petulante linguâ;

En Deo quandoq; dicata, nos iam
Templa tenemus.
Sed DEVS vertigine torque acutâ
Sic eos, vt turbo celer rotatur:
Pelle sic raptos, stipulas leuis pre-
pellit vt aura
Brachia vt sylua populatur ignis
Inuia; ceu feruida flamma montes
Asperos incendio adurit, atq;
Deijcit altos:
Sic eos vrge attonitos procellis
Turbidis, iustiq; furoris irâ
Territos da præcipites, acerbâ &
Affice pœnâ.
Consili inceptiq; sui pudore
Ora suffusos adige hûc, requirant
Vt tuum nomen, tua supplicesq;
Numina adorent.
Sic premas fastu tumido superbos,
Conscius quò tota pudor coloret
Ora: confertiq; ruant dolore
Perdita turba.
Hinc tui discent celebrare famam
Nominis cuncti populi, supremum
Teq; gens omnis colet orbe toto
Debito honore.

PSALM. LXXXIV.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine.

O DEVS, Rex bellipotens IEHOVAH,
Quàm mihi dulce est tua templa amare
Aurea, ô quàm digna coliq; sunt tentoria Diua?
Hæc DEI mens atria sacra anhelat,
Palpitat lætum cor, & omne corpus
Gestit, è viuoq; DEO beata
Gaudia captat.
En domum inuenit sibi passer almam
Veris & pranuncia hirundo nidum
Struxit, implumes, vbi cara ponat
Pignora, pullos.
Nempè sub sacri pia tecta templi
Et tuas ô armipotens sub aras:
Mi DEVS, mi Rex tua quàm pijs desidero votis
Atria? ô felix nimis, ô beatus
Qui tuâ versatur in æde sacrâ,
Latus vt te perpetuò celebret
Dulcibus hymnis.
His quidem semper benè cuncta cedent,
Qui trahunt abs te sibi vour vno,
Semitas tantumq; tuas probato
Corde sequuntur.
Aridis in vallibus vnda stillans,
Riuulos fontis liquidos amœni
His dabit; doctrina quibusq; cordi est
Vna salutis;
Cœlitùs largâ benedictione
Plurimis donisq; beati abundant;

Quippè

Quippè victores abeunt subindè
Viribus aucti.
Hinc licet virtute DEVM potentem
Cernere, & solum sine fraude verum,
Incolit qui celsa frequens Zionis
Culmina montis.
O potens exercituum IEHOVAH,
Aure fac votis facilem benignâ
Te meis præbe, DEVS ô Iacobi
Mitior audi.
Tu DEVS noster clypeus manebis,
Rebus in duris columenq; nostrum;
Fac beatus fortisq; cui benigno
Respice vultu
Sceptra Messiæ, decus inclytumq;
Huius indulge capiti sacrato,
Reprimens, hostisq; trucis cruenta
Arma, tuere.
Nam tui præstat coluisse templi
Atria excelsi sacra, vel die vnâ;
Quàm dies vel mille alibi superbâ
Sede morari.
Quin ego sim liminis ipse custos
In tuo templo potiùs, DEVS mi,
Quàm diu clarus cupiam impiorum
Viuere in aulis.
Nil boni puris scelerum negabit,
Suppetent cunctis sua continenter
Dona, quæ promptus dabit affluenter
Diuite dextrâ.

O DEVS Rex armipotens & autor
Pacis, ô quàm multiplici est vir ille,
Qui facit te spem solidæ salutis,
Sorte beatus.

PSALM. LXXXV.

Benedixisti Domine terram.

IPse qui quondam fueras, IEHOVAH,
Tu tua terra miserator, atq;
Carcere edûxti vigido Iacobum
Morte redemptum:
Qui tui culpas populi remittens,
Omne texisti scelus vltrò, & iram
Ipse liquisti placidus paterno
Motus amore:
O DEVS nostra columen salutis,
Iam tuo solamine fac iacentes
Erige, absistensq; furoris æstu
Sustine pressos.
Nunquid indignabere quæso nobis
Sic in æternum sine fine tempus?
Protrahes iramnè tuam vsq; in omnem
Posteritatem?
Annè nos solamine recreabis
Rursus? vt viuens populus tuis, te
Dante, respiret capiatq; pleno
Gaudia corde.
Quæsumus nobis facilem IEHOVAH
Exhibe te supplicibus, salute

Corda cœlesti placidusq; fessa
Perge fouere.

Audiam quæ verba DEVS locutus
Sit suæ plebi, reliquisq; sanctis
Qui colunt leges patrias, profano er-
rore relicto.

Fortè ne stulti vitijs reuersi
Pristinis, sint subditæ turba vanis
Diis, & in præsens recidant periclum
Exitiumq;.

Illius qui sancta colunt timentq;
Numina, his promptus bona cuncta donat
Et facit nostras decus omne constans
Ornet vt oras.

Obuia vt fiat bonitati & alma
Veritas, pax iustitiaq; iuncta
Sit comes, dans mutuò amica cara
Oscula sorori.

Floreat terrisq; fides, odorum
Proferens germen, recreetq; Dia
Incolens Astræa solum relicto
Splendido olympo.

Det manu nobis Dominus benignâ,
Poscimus quæ dona precando cunq;
Coptâ frugum exhilaret redundans
Terra colonos.

Ante eum vis iustitiæ manebit
Integra, & constans gradietur amplâ
Semitâ, carpens iter omne in æuum
Tramite recto.

PSALM.

PSALM. LXXXVI.

Inclina Domine aurem tuam.

DA meis aurem precor ô IEHOVAH
Mitior votis placidam, saluti
Et meæ fac consule, supplicique adiutor adesto.

Namq; ego sum pauper, inops & ager,
Indigus tantumq; tuæ salutis,
Qua mihi in rebus miseris & arctis
Sufficit vna.

Ah DEVS serues animam fidelis
Seruuli, mores tibi qui probauit
Iam suos pridem, tua quem tenet spes
Firma foueteq;.

Parce mi clemens Domine ô misello:
Nam tibi clamo assiduis diebus,
Te tuum nomenq; colo supernum
Pronus adorans.

Gaudio perfunde animam beato
Seruuli afflictam, quia te patronum
Expetit, desiderat, optat vnum
Anxiè anhelans.

Ipse enim clementia origo fonsq; es
Et bonus valdeq; benignus, imò
Omnibus, qui supplici ter vocant te ignoscere promptus.

Percipe attentis mea quaso vota
Auribus, nec quas tibi fundo supplex

Lachrymis contemne preces ab ægro
Corde profectas,
Cùm premunt me tristia fata, votis
Posco te tantùm cupidis salutem
Fac modò exaudi facilis vocantem
Te prece castâ,
Summus es rerum, Domine, & Deorum
Maximus, virtute tibi secundus
Nec datur quisquàm, peragens idipsum
Quod facis vnus.
Dextra quot gentes tua fecit olim,
Confluent è finibus orbis omnes,
Poplite & flexo tua prosequentur
Nomina laude:
Tàm quod es magnus DEVS, edis ausa
Et modis miris nimiùm stupenda,
Es DEVS solusq́; nec est ab vno
Te Deus alter.
Semitam legum mihi fac tuarum
Pande, vt incedens tua iussa secter,
Nec meos in deuia falsa gressus
Pertrahat error.
Sic mihi firmes precor ô IEHOVAH
Pectus, huîc vt cura tui timendi,
Nominis sancti maneat tuiq́;
Sola colendi.
Corde de toto Domine ô DEVSq́;
Mi, canam grates tibi, & omne in æuum
Efferam te laude tuumq́; nomen
Concelebrabo.

Magna

Magna enim cinxit tua me puſillum
Gratia, hanc ſeruans animam redemptam
Morte traxiſti furiarum & Orci
Sede profundâ.
En DEVS me turba petit ſuperba,
Et feri infeſtant miſerum Tyranni,
Perdere hanc quærunt animamq; ferro
Agmina gentis
Impia, quam numinis vlla cura
Haud tui tangit, pietatis alma
Nec mouet cultus, nec amor fidesuè
Religionis.
Tu ſed es Clemens, Domine, & benignus,
Lenis, & multâ bonitate præſtans,
Et tenax es polliciti, atq; fidus
Reddere pacta.
Verte mi vultum placidum miſertus,
Et fauens me reſpice, ferq; ſeruo
Iam tuo placatus opem ſalutis
Robore firmans
Me tuo, natum famulæ tuæq;
Adiuua, & ſignum bonitatis in me
Exere, id cernant oculi maligni
Poſtmodò vt hoſtes
Liuidi, vertatq; pudor labantes
Decolor, ſolamine quo fruar cùm
Viderint, & tu mihi ſis quod ipſe
Auxiliator.

PSALM. LXXXVII.

Fun-

Fundamenta eius in montibus.

IN sacris Ecclesia sancta persat
Montibus munimine fulta firmo,
Hostium & contra rabidos furores
Salua manebit.

Nempè pra cunctis Dominus Iacobi
Vrbibus, portas adamat Zionis,
Huius in celsis velut & locatam
Collibus arcem.

Vrbs Deo dilecta Zion, beata
Vrbium mater, memoranda seclis,
Personant in te resonantq; de te o-
racla futuris.

Me Rahab diues Babylonq; magna
Noscet è verbo sibi prædicato
Hic Palæstini, AEthiopes, Tyriq;
Et genus omne

Barbarum, natale solum videbunt,
Hùc fluent, vt poplite flexo adorent
Me, meum numen metuant honore
Afficiantq;.

De Zion toto referetur orbe,
Fortibus quòd fœta viris, superni
Numinis sit perpetuò beata &
Tuta fauore.

Pandet & linguis varijs IEHOVAH
Regna per, mysteria sacra verbi;
Vndè nascetur numero frequenti
Cœtus in orbe.

Tùm lyra dulcis canet in Zione
Vox ſonans laudes Domini, audientur
Hicq; ducentùm veluti choreas,
Carmina læta.

PSALM. LXXXVIII.

Domine DEVS ſalutis meæ.

O Sator rerum patulus quot orbis
Continet, quot terra fouet, quot æquor:
O mea ſpes & columen ſalutis
Præſidiumq;.
Sol ſuo ſeu lumine luſtret oras
Aetheris, ſeu feſſa ſopore membra
Nox riget, ſupplex Dominum Deumq;
Te voco, amaris
Ora conſperſus lachrymis, adeſto
Mitis, & vultum facilem precanti
Da, meis clamoribus admoueq;
Comiter aurem.
Mens mea ærumnis ſaturata torpet,
Heu parum diſtat tenebris ab Orci
Vita, iam confecta dolore pridem
Tendit ad vrnam.
Ducor illorum in numero, vorax quos
Poſcit infernus, ſimilis viroq;
Reputor, virtus ſua quem reliquit
Spesq; ſalutis.
Mole ſub dura iaceo ſepulchri
Obrutus, ceu vulnere cæſi amaro,

Immemor quorum es penitus, repentè &
Diceris almâ
Dexterâ quos deposuisse scissos:
Vmbra me terret cruciatq; mortis,
Dum iacis me præcipitem in profundas
Ipse tenebras.
Me tuus torquet furor, ira & ardens
Exedit; totis premis heu iacentem
Fluctibus, ceu imbre vago malorum
Concutis ægrum.
Me procùl cedunt fugiuntq; cuncti,
Quos ego fidos fore mi sodales
Retro. his nunc horreor in profundo
Carcere clausus.
Scilicet te autore, salutis, eheu,
Nec mihi spes vlla relicta vitæ est;
Sic toro affixus iaceo, ligatus
Compede mortis.
Lumina eheu victa malis, vigore
Cassa cesserunt, mihi forma prorsus
Pristina amissa est, notat hanc q; frontem
Ruga senilis.
Te voco, te quotidiè IEHOVAH
Et tuum nomen precibus fatigo,
Supplices lassasq; manus ad alta
Sydera tollens.
Inter & tot dura pericla poscens,
Vt bonus digneris opem misello
Ferre speratam mihi, & expetitam
Tempore multo.

Annè iam cassis animâ recludes
Edita abs te facta stupenda? nunquid
Terra quos clausit tumulo silente
Quæso resurgent

Ad tuas laudes numeris canendas
Dulcibus? manesuè tuum sepulchris
Nomen exciti referent sonoro
Carmine ad astra?

An tua extabit pietas celebris
Fortè decantata sepulchri in antro?
Num tua in tristiuè fides patebit
Perditione?

Annè sint miracla tua in tenebris
Nota? num quid iusticiæ vigebit
Laus tua in terrâ, meminisse quicquàm
Qua nequit vltrà?

Asi ego supplex tibi clamo IOVAH,
Manè te castis precibus fatigans
Tempus haud mitto vacuum, pijs quin
Vocibus instem.

Hanc DEVS cur ergo animam repellis
Aure ceu surda? faciem quid abdens
Patriam, ostendis mihi nulla prisci
Signa fauoris?

Improbus tristisq; labor dolorq;
Vrit à primâ miserum iuuentâ,
Corpore, heu quos animoq; duros
Perfero casus?

Penè iam tabesco dolore totus
Anxio, terrore tui furoris

Oppri-

Opprimor, formido meos; frangit
Horrida sensus.
Sum malis circumdatus instar undæ,
Quæ die toto latus omne stipant,
Queis nequit quisquam posuisse finem,
Tu nisi IOVAH.
Tu facis nemo mihi præstò amicus
Vt sit, aut fidus socius, propinquo
Sanguinis, iunctusue gradu fideue
Religionis:
Quin procùl hinc fugiunt, & omne
Offici abducunt genus heu relicto,
Imò & inuisum sisperis misellum,
Vt sibi, ducunt.

PSALM. LXXXIX.

Misericordias Domini in æternum.

MAxime ô rerum genitor, IEHOVAH,
Omnium, quas terra capit polusq;
Te canam semper, memorando longa in
Secla nepotum.
Te pium immensâ bonitate patrem,
Atq; promissæ fideì tenacem;
Hinc eris notus populis palàm, me
Vate futuris.
Ergò sic mecum statuens profabor
Ore; consurget tua DIa durans
Gratia æternùm, tua veritas firmataq;
cœlis.

Cum mihi electo pepigi sacratum
Fœdus, & iurans famulo probato
Dauidi promissa dedi futuri
Seminis æuum in

Omne; cuî Regni solium paratum
Ipse firmabo, stabile vt per annos
Duret æternos, & vt omnis ætas
Id colat vnum.

Vt tua immensi Deus ô IEHOVAH,
Prædicent miracula magna cœlî,
Cœtibus testentur & ipsa sanctis
Omnia vera,

Cœlitûm Rex, quis tibi conferetur
AEthere in celso? tibi de potentûm
Filijs quis par erit, aut secundus
Maximo in orbe?

Quippè sanctorum in populo stupendâ
Est DEVS virtute potens, superbis
Accolis passim metuendus idem
Atq; Tyrannis.

Maxime ô exercituum IEHOVAH,
An tui est quisquàm similis Deorum?
Te fides circum pia semper almâ
Luce refulget.

Tu mare iratum cohibes, procellas
Sistis & fluctus pelagi frementes,
Imperans dèijcisq; potenter vndas
Ipse superbas.

Sternis elatam Rahab & trucidas
Morte funestâ, valido feroces

Dissipas hostesq; tuos lacerto, &
Hostica regna.
Tu soli cœliq; opifex es unus;
Quicquid amplexu patulus capaci
Ambit & mundus solidum tui stat
Hoc clementis.
Et calens Auster, Boreas & algens,
Te suum agnoscunt Dominum timentq;
Quin tuum nomen celebrant ouantes
Thabor & Hermon.
Brachij virtute vales, potentiq;
Est manus vis summa tua; imò dextra,
Robore excellens tua & alma victrix,
Surgit in altum.
Ius tibi firmat solium perenne
AEquitas &, sancta fidesq; vultum
Ob tuum constat, tibi & est iuuandi
Prompta voluntas.
Septies ac amplius est beatus
Ille dicendus populus, sciunt qui
Iubila intentâ resonare voce
Læta IEHOVAE.
Qui sacri ad normam institutumq; verbi
Omne iter vitæ, patiuntur indè
Se nec abduci illecebris minisue
Tempore in vllo.
Ex tuo cunctis capient diebus
Nomine immensum, solidum, beatum
Gaudium, queis iustitia decus con-
cedis & vltrò.

Das & his vires, decus Imperij;
Addis; & virtutis es ipse nostræ
Gloria, & nostri bonitate regni
Cornua figens
Euehes, noster clypeus salusq;
Noster, Rex noster, gregis Israëlis
Fidus es per dura pericla custos,
Numine dextro.

Tu tuis per visa locutus olim,
Es pijs, dicens: iuuenem valentis
Auxilij lectum è populo perennis
Ad sacra regni.

Culmina extollam, Isacidûm vt saluti
Consulat, defendat eos & armis,
Et mihi tantùm populo dicato
Iura ministret.

Scilicet Dauid famulum fidelem,
Quem quidem sancto statuens oliuo
Vngere in regem, solio ipse dignum
Antè probaui.

Huic dabo vires animumq; dextræ
Hunc meâ seruabo, meis eundem
Brachijs firmans validè tuebor;
Ne ferus hostis.

Huic queat vel fraude nocere, vel vi
Lege nec diuexet eum tributi
Barbarus, neu exsuperans inermem
Deleat armis.

Huic ego infestos subigam, & rebelles
Ipse compescam, DEVS vltor, hostes,

Conteramq; ipsi malè amica plagis
Agmina duris.
Interim faxo comitetur illum
Veritas constans bonitasq; dIi
Numinis: quin eriget in meoq;
Nomine cornu
Gloria, vt se tollat ad astra cœli:
AEqua det cunctis populisq; iura;
Quem colant terra, mare quas obvrat,
Flumina scindunt.
Ille me patrem proprium vocabit,
Et D E V M fortem sibi; me salutis
Et sua scutum statuet petramq;
Præsidiumq;.
Hunc ego natu reliquis & altu
Regibus terra faciam priorem
Hunc Ducem summis statuam vel vnum
Principibusq;
Huic nec absistet favor vllum in avum
Numinis DIi, solidiq; pacti
Veritas constabit huic, perenni
Tempore durans.
Quin ego seros sobolis nepotes
Huic dabo, per progenies in vsq; &
Vsq; mansuras, stabilisq; regni
Sceptra sacrata
Is geret dum sydera celso olympo
Fixa fulgebunt, facieq; clarâ
Dum suâ Sol luce dies, opacâ
Lunaq; noctes.

Illius sed posteritas recusset
Si mea præscripta tenere legis,
Et viam quam debeat ire iussam
Negligat ire;
Mente si ritusq; sacros profanet
Improbâ, & sancta pia iussa legis
Spernat, haud & qua mea sit voluntas,
Cogitet vnquàm:
Ipse ego virgâ scelus vltor atrox
Prosequar durâ, repetensq; plagis
Tristibus, delicta patrata sæuo
Verbere plectam.
Sed tamen non destituam benignâ
Gratiâ Regem, pepigiq; pactum
Quod semel nunquàm violabo sancta
Fœdera soluens.
Ore qua sum cunq; locutus olim
Candido, non vlla iterabit ætas,
Temporis non illa abolebit vnquàm
Vlla vetustas.
Qua semel per me statui sacrato
Fœdere adiurans, ea non dolosa
Sentiet nec vana Dauid fidelis
Semus in æuum.
Ipsius per secula cuncta viuet
Ac erit florens soboles superstes,
Patrij sceptri moderamen instar
Solis habebit
Fulgidi semper stabilisq; firmum &
Permanens, ceu candida luna cœlo

Fixa, resplendetq; vicesq; rerum
Temperat alma,
Orbibus lustrans variata nubem;
Gratiæ testis velutiq; olympo
Iridis celso positus, superni est
Numinis, arcus:
Patrij sic signa fauoris ipse
Certa confirmabo Dauid potenti;
Illius dum regia sceptra vasto
Comparo mundo.
Sed tamen nunc sancte parens, furoris
Percitus flammis tumidi sinus, quem
Vxeras Regem, procùl hinc abactum
Atq; repulsum.
Negligens iam fœdera sacra pacti,
Cum tuo quondam famulo quod ipse
Fecteras, sternis diadema terram
Eius in imam;
Barbaras calcare sinusq; gentes
Illud infestus pedibus furenter
Quin & illius loca septa muris
Diruis altis.
Imò propugnacula quæq; firma,
Atq; munitas bene splendidasq;,
Conterens arces ferus hostis omnes
Dispulit armis.
Præda feralis tuus & rapina
Sordida est seruus populo feroci:
Huncq; vicini grauiter proteruis
Vocibus vrgent.

Huic & infestos nimus, ipsius auges
Viribus, latosq; facus repletos
Gaudio, extollis tumidosq; in altum
Mente superbâ.

Sed tui Christi retulisti acutam
Ensis armorumq; aciem areorum;
Huic nec obtingat facis vt trucis victoria belli.

Omne iam regni decus atq; splendor
Regius, per te periit inceteq;
Gloria excelsi solij stupenda
Repit humiq;

Tu dies præcidis huic inuenta
Florida, obuoluisq; pudore tristi
Hunc, vt in luctu videat suprema
Fata finisq;.

Quo tibi iam cura mei IEHOVAH
Cessit? auersa facie nè ducis
Sic mei fastidia, teq; celas
Tempore tanto?

Annè sic semper velut ignis ardens
Sauiet bilis tua? num furorè
Feruido tandem dabiturnè finis
Aut modus vllus?

Mente fac tecum memori reuoluas,
Quàm mihi sit vita breuis; genus num
Omne te fecisse voles nè frustrà
Terrigenarum?

Cui virûm non falce resecta vita est
Mortis incuruâ? redimat nè quisquàm

Vsq; subducens animam sepulchri
Squalido ab antro?
Prisca vbi quaeso est bonitas IEHOVAH
Nunc tua, & iurata fides Dauidi?
Veritas olimq; initi foedere pacti?
Tot tuis opprobria facta seruis
Te decet certè meminisse IOVAH,
Perfero qua clausa sinu silente
Et maledicta;
Afficit queis turba maligna teipsum;
Queis tui incessit petulansq; Christi
Et premit, conuicia multa fundens
Impia, calces:
Dum pios sperare iubent profani
Huius aduentum; sacra nempè risus
Est quibus res ista; colenda cunctis
Religiosè,
Queis sua cordi est ratio salutis
Laus vigens in secla sonet IEHOVAE.
Voce qui verax geminâ probatur.
Amen & Amen.

FINIS LIBRI TERTII.

PSALMORUM LIBER QUARTUS.

PSALM. XC.

Domine, refugium factus



Vtus es nobis, Domine ô, receptus,
Mansio secura, sacrumq; asylon;
Antequàm montes fierent, solumq;
Esset & orbis.

Tu DEVS constas, prior esq; cunctis
Seculis, idem DEVS ille fortis,
Quem penes vita necis est & vnum
Summa potestas.

Ipsè enim tollis medio subactos
Morte, nunc illos, reuocas & hos nunc
Rursùs in vitam, nitida fruantur
Lucis vt aurâ.

Quippè, mille anni tibi sunt vel instar
Lucis hesternæ, velutiq; noctis
Quatuor de partibus vna, lassus
Quam vigil egit.

Ceu fluens punctum est hominum caduca
Vita, torrentis velut vnda aquosi;
Nulla quæ cursus, vbi iam recessit
Signa relinquit.

Res homo vana est & imago inanis,
Qualis in somno dubias profundo

Vexat

Vexat illudens pauidasq; mentes
Ponderis expers:
Quale & est mutabile germen agri,
Manè quod floret, medio sed æstu
Languet, amittitq; cadente priscum
Sole vigorem.
Heu tua defecimus ira ab æstu,
Sic tuo turbati agimur furore,
Concidant vires animi vt repentè &
Corporis omnes.
Nostra enim delicta tibi ante vultum
Ponis iratum, latebrisq; cordis
Clausa fers luci, tibi nota quæ sunt,
Abdita nobis.
Te dies nostri fugiunt frementè,
Ergò, nostri anni citiusq; dicto,
Imò labuntur tacitis & omnes
Cursibus horæ.
Nostra bis septem spacioſa vita ab-
soluitur lustris; quibus est senecta
Firmior, fato duo adhûc supersunt
Lustra benigno.
Detur at cuiquàm licet in tot annos
Lucis vsura, est melior tamen pars
Inquies curis grauidis dolore, &
Plena laborum.
Cùmq; (vt est moris) citò vita transit,
Ocyus fugisse videtur Euro;
Imò ceu ales leuis auolâsse,
Nescia verti.

Sed tui nasi quia nemo credit
Vim, tui tantosq; furoris æstus;
Præparat se nemo tui timore
Ad breue funus.

Ergo tu nos scire doceto fatum
Ipse supremum, DEVS ó IEHOVAH,
Nostra se posthâc studijs det vt mens
Prouîda sacris;

Sordidis prorsùs aliena curis;
In tuam sit dedita seruitutem,
Recta sectando sapiensq; cernat
Lumen honesti.

O precor lenis rediens, paterno
Iam tuos dignere fauore seruos;
Prospice hu, dulci veniâ, fructu
Affice eosdem.

Manè nos largâ bonitate reple.
Gaudio vt tandem recreemur ægri,
Et quod est aui super exigamus
Inter amica

Ocia, & luctu soluant ab omni
Corda se; versâ vice, quot premebar
Nos dies, tot pòst videamus annos
Annue lætos.

Ipse maiestatis opus decusq;
Fac tuis notum famulis, eorum
Posteris fiat tua nota & omne
Gloria in æuum.

Sit fauens nobis Dominus DEVS ñ
Noster, ac omnem manuum laborem

Ipse nostrarum efficiat secundo
Numine faustum.
Certè opus quod nostra manus laborans
Suscipit, molimina iusta rerum,
Prosperus successibus atq; lato
Fine beabit.

PSALM. XCI.

Qui habitabit in adiutorio.

QVI latens sub præsidio supremi,
Tutus est, ac omnipotentis umbrâ
Gaudet; obfirmato animo ille iam sic
Fatier insit:
O salus, ô arx mea, vita & autor,
Mi DEVS, protectio, asylon, vnum
Numen in quo firma mihi recumbit
Spesq; fidesq.
Ille venantûm laqueis dolosis
Eruet te, lethifera venenum
Pestis arcendoq; tibi, amouebit
Cuncta pericla.
Molliter plumis leuibus fouebit
Ille te, in rebus miseris & ægris,
Fulciens te spes residebit eius
Nixa sub alis.
Illius promissa fides reperta
Ante non fallax, clypei est aheni
Instar, & scuti, & galeæ tuentis
Perfido ab hoste.

Noctis horrores pauidos silentis,
Nec, die claro, celeres sagittas,
Qua volant, pestemue frequentem in vmbru
Vsq; timebu:

Luce nec morbos media furentes,
Nec luem, qualis tumidum per æsum
Dira grassatur, rapido calore
Corpora sternens.

Vt latus strages tibi mille slipent,
Dexteram iuxta deciès cadantq;
Mille; te tanget tamen haud ruina
Flebilis vnquàm.

Quin tuos pasces oculos, tuendo
Torqueat quàm pœna dolenda turbam
Impiam, condigna suis ferentem
Præmia factis.

Nam tuæ spes est Dominus salutis,
Cui loco sedes posita est superno;
Quem modò si nactus eris asylon,
Noxia damna

Senties haud vlla, tibi nocere
Casus aduersus poterit nec vllus;
Nec tuis se plaga dabit propinquam
AEdibus vlla.

Ipse enim fidos comites adesse
Angelos iussit tibi, vt omnibus te
In vijs ducant vigilesq; denso
Agmine seruent.

Qui manus & subijciant ruinæ;
Si loci natura sit aspra forsàn,

Ne pedem offenso tibi saxa lædant,
Inter eundum.
Quin seros planta subiges Leones,
Aspides securus & inter ibis,
Imò calcabis catulos Leæna
Atq; Dracones.
Me pijs desiderat ille votis;
Ergo & ereptum medijs periclis;
Nominis virtute meiq; fisum
Ipse iuebor.
Sorte in afflictâ misero vocanti,
Supplici me voce DEVM patremq;,
Certa ego responsa dabo, patronus
Ac ero præsens.
Liberoq; addam decus omne honoris,
Huius & vita saturum, salutis
Compotem æterna faciam & beata
Postmodò vita.

PSALM. XCII.

Bonum est confiteri Domino.

RES bona, apprimè estq; decens & æquo
Par, DEO præconia grata laudum
Dicere, & patris celebrare summi
Nobile nomen.
Purpuret seu ætheris ortus oras
Sol, tacens terras tenebrisué opacis
Obruat nox, sit tua tàm fides quàm
Gratia carmen;

Voce non tantùm, sed & in sonoris
Organis, testudine, barbitoq; &
Cymbalis, queis pandere sacra fas est
Et benè gesta.

Mente dum mecum tacitâ reuoluo,
Ipse quas rerum species in auras
Tu DEVS fundis, capio indè cantans
Gaudia læta.

Quæ tua constant opera arte dextra,
Ampla mî argumenta parant honori
Carminis, sunt deliciæ meoq;
Pectori opima.

O DEVS quàm magna facis, stupenda
Quamq; sunt certè tua sensa sensu
Condita à nostro, nimiùm profundè oc-
cultaq; valdè.

Haud potest sed nôsse profana turba
Hoc, inops mentis statuisse verum
Vt nequit, nemo assequiturq; captu
Stultus inerti.

Impij pubens velut herba florent,
Et nitent quicunq; nefanda patrant
Facta, vt excisi pereant repentè
Funditùs omnes.

Tu sed es solus Domine ô supremus
Omnium rector superûm, & manebis
Idem, in æternum tua eritq; tempus
Gloria constans.

En tibi infestos DEVS ô, ruina
Opprimet; quin dissilient maligni,

Occident cuncti petulantibusq;
Perditi in ausis.
Sed meum extollens statues in altum
Ipse cornu Rhinocerotis instar:
Rore fragranti mihi recreabis
Vndiq; frontem.
Triste sed fatum hus oculis meorum
Hostium cernam, excidiumq; eorum
Audiam, qui se posuére contra
Me, agmine grandi.
Floreant quamuis hodiè maligni;
Cras tamen forsân sine honore marcent:
Vir bonus sed, palma velut, vigebit
Flore perenni:
Germine & multo, vt Libani alta Cedrus,
Crescet, extendens pietatem in ausis
Laude praclaris, feret inde fructus
Haud perituros
Qui, ferax ceu planta, sacrâ IEHOVAE,
In domo inserti fuerint, DEIq; in
Atrijs, cum flore suo virescent
Semper amœno.
Temporis lapsu videant vt annos
Plurimos vita: tamen haud senecta
Sentient incommoda tristis vlla, in
Corpore sano.
Gentibus cunctis referant vt, æquus
Quàm sit & iustus Dominus; salutis
Arx mea, qui labe carens doli est in-
iuriæ & expers.

PSALM. XCIII.

Dominus regnauit decorem indutus

MAximus Regum, dominator orbis
Totius, iam sceptra gerit potenter,
Fulgido splendore nitens, amictus
Veste decorâ,
Robore accingens, validoq; semet,
Regna per mundum patulum capessit,
Regna quæ non vlla loco mouere
Vis queat vnquàm.
Hinc ab æterno solium paratum
Stat tibi, æternus velut ipse constas
Rex, vices rerum metuis nec vllo
Mobilis æuo.
Flumina excedunt, Domine ô, procellis
Turbidis moles positas ad alti
AEquoris ripas, strepitantiq; rauco
Murmure fluctus.
Fortior sed fortibus est IEHOVAH
Fluctibus, compescit & ille celso
Præsidens cœlo, tumidi minaces
AEquoris vndas:
Quæ, DEVS, misteria cunq; proferi
Ore, sunt firmata fide tenaci;
Sancta & est ades tua, quam perennis
Gloria cingit.

PSALM. XCIV.

DEVS vltionum Dominus.

TE decet vindicta DEVS, refulge
Ergo iam, te numine siste luci
Vindice, expergiscere, surge tandem ô
Arbiter orbis.

Iura qui terras populis per omnes
Das, precor iam præmia redde factis
Digna quæ prauis homines superbi
Promeruere.

Vsq; quò tollent animos, IEHOVAH,
Impij, num sic sine tactitabunt
Fine? quo palmamq; malamq; causam
Iure tenebunt?

Fabulis stultis placeant sibi nè
Improbi semper? patiere tandem
Vt tibi hæredem populum premant sic
Viq; doloq;.

Qui suis tristes viduas maritis
Liberos caris patribusq; cassos,
Aduenasq; heu, rabidi necant dis-
crimine nullo.

Quin eos dementia tanta cepit,
Ista patrantes petulanti vt ore
Mussitent secum: DEVS ecquid vllus
Talia curet?

Ille, quem quondàm coluit Iacobus,
Mente scrutetur nè DEVS sagaci,
Cernat & vindex oculis acutis
Fanda nefanda?

O diu

O diu gens stulta nimis, veterno
Mente discusso, ratione tandem
Fac datâ discas sapienter vti,
Sic reputesq.
Prouidus tecum: annè sit aure surdus
Aurium plantator? eritnè solers
Orbium lucis fabricator orbus
Munere lucis?
Qui vagas certâ sine lege gentes
Corrigit, ius præcipit his & æquum,
Non is autores scelerum seuerè
Puniat vltor?
Qui docet mentes hominum Magister
Scire quæ sint recta sequi iubetq.,
Sentiat ne is, consilia intimo quæ
Pectore versent?
Imò sensa arcana hominum IEHOVAH
Perspicit, quamuis latebant profundo
In sinu cordis, simul arguitq.
Omnia vana.
O virum cunctis numeris beatum
Erudis quem tu DEVS ipse, legis
Et tua curas bonus edocendum
Scita sacrata.
Hic in aduersis patiens quietæ
Rebus optatâ placidè fruetur;
Impio dum fossa paratur altæ
Exitiumq.
Nam sui nunquàm populi IEHOVAH
Negligens, quenquàm patrio repellet

Durus à vultu, aut sibi sorte lectos
Deseret vllos.

Ius licet quandoq; prematur æquum;
Opprimi quit non tamen, at manebit
Id quod est rectum, & dabit huic fidem gens
Æmula recti.

Quis mihi præsens aderit patronus
Improbos contrà mihi quisuè tutor
Præsto erit contra validæ proteruæ
Ausa cohortis?

Mutus, heu, sensuq; carens & almâ
Luce, apud Manes habitarem in vrnâ
Conditus, ni mi Dominus fuisset
Auxiliator.

Si querar forsàn: mihi pes vacillat
Pronus ad lapsum; pietas IEHOVÆ
Excipit casum subiens, & vltrò
Sustinet ægrum.

Cor erat multâ anxietate plenum
Pœnè submersumq; malis profundis;
Tersit at dulcis tua vox ferebat
Gaudia menti.

Noxia cum sede, DEVS, cathedra
Nil tibi est commune, vbi praua fingens
Præsul inuertit tua dicta sacra
Dogmata legis.

In caput iusti coëunt maligni, vt
Obruant sententiâ iniquâ eundem
Et premant, palmas maculent cruore
Innocuoq;.

Sed quid hos curem meuamuè? IEhouah
Cùm mea cuſtos ſit & arx ſalutis,
Nixa quo in ſolo mea ſpes fideſq́
Tota re ſedit.
Pro malis qui pramia iuſta factis
Reddit, excindet penitùs malignos
Arbiter iuſtus, Dominus DEVSq́
Noſter, & vltor.

PSALM. XCV.

Venite, exultemus Domino.

HVc adeſte omnes, properè venite,
Iubilis latis date ſigna ouantes:
Noſtra quòd rupes Dominus ſit, vna
Spesq́ ſalutis.
Illius ſiſtamus & ante vultum
Patrium nos, vt reſonemus hymnis
Numen illius melicis canendo
Laudis honores,
Maximus quippè eſt Dominus Deorum
Omnium, Regumq́ ſupremus eſt Rex,
Et poli rector, dominator orbis
Totius vnus.
Is quidem fundamina vaſta terræ
Suſtinet nutu ſolida, manuq́
Montium faſtigia nube cincta
Fulcit is idem.
AEquor & fecit rapidum regitq́
Temperans illud, manibus parauit

Fluctibus terramq; natantem in altis
Mole globosâ.
Hùc adeste ergò vt Domino feramus
Vocibus iunctis animisq; vota,
Supplices, flexis genibus, leuatis
Riteq; palmis.
Qui velut nos prouidus ipse finxit
Conditor, massamq; rudem poliuit
Artifex: sic nos fouet & gubernat
Numine dextro,
Vendicat nos ille sibi dicatos
In fidem, nostros habilemq; ad vsus
Se fauens accommodat, indigisq;
Pabula præbet:
Haud secùs quàm curat oues tenellas
Pastor, ac ad pabula læta ducit,
Recreat lymphaq; liquente, ab omni &
Clade tuetur.
Ergò, si vestras hodiè sub aures
Illius vox ibit, adeste prompti,
Vestra, ceu olim in Meribâ, rigescant
Corda cauete.
Aut velut quondam per inhospita arua
Arabum, patres vbi me rebelli
Voce tentabant proauiq; vestri,
Gens malè grata.
Qui licet vidére mea stupenda
Dextera facta, & patrij fauoris
Signa, tot rerum facies q; raro
More peractas:

Attamen lustris mihi restitêre
Octo, & hinc dixi: malus iste grex re-
motus à verâ ratione semper
Desipit errans:
Qui meas spernit renuitq; nôsse
Semitas, & iura repellit aqua;
Sic rudem à cultu superûnq; mentem ab-
ducit olympo.
Quare & iratus populo rebelli
Tàm diu, adiurans requiem beata
Commoda & vita patribus suis pro-
missa negaui.

PSALM. XCVI.

Cantate Domino canticum nouum.

CAnticũ ô psallite nunc IEHOVAE
Antè inauditis, patuli coloni
Orbis; illius resonate nomen
Laude celebri,
Vocibus mulcete DEVM canoris.
Arbitro quo certa salus vni vno
Venit, huic cunctis pariter diebus
Dicite laudes.
Quas potens virtute DEVS peregit
Res, apud gentes referantur omnes,
Illius fiantq; palàm stupenda
Facta per orbem.
Verè enim est vnus DEVS ille magnus
Nempè qui laudes habet vnus omnes,

Est & is mirabilis ante cunctos
Numine diuos.
Quos loco gens barbara habet Deorum,
Nil quidem quàm marmora sunt & aurum;
Sed DEVS quem nos colimus solumq; &
AEthera fecit.
DIa maiestas prœit hunc, decusq;
Ornat hunc amplum eximiumq; robur,
Huius & splendore nitent sacrati
Aitria templi.
Reddite ò ergo populi IEHOVAE
Gloria laudem, celebremq; famam
Nominis, quæ competit vna soli
Omnipotenti.
Supplices huic munera digna ferte,
Scanditis cùm limina sacra templi;
Soluitus fundendo precesq; ab imo
Pectore vota.
Mentibus puris genibusq; flexis,
Hunc colant quocunq; sub axe vitam
Exigunt gentes, latus omne mundi ob-
seruet eundem.
Quin palàm narrate tribus per omnes,
Sceptra quòd suprema gerat IEHOVAH
Solus, ac dicat populis bonus ius
Omnibus æquum.
AEther exultet nitidus, celebri
Personans & lætitiâ alma tellus
Gestiat, vastum fremat æquor, & quæ
Continet illud.

Rideat nunc cultus ager, redundans
Vuis, sylua saliant & altis
Arborum ramis, recinant ouantes
Floribus horti.
Arbiter iam iam veniens IEHOVAH
Orbis, vt det iura salutis aquâ
Lance, ponat terrigenisq; leges
Numine dextro;
Asserit cum iustitiâ fideles
Integrâ iudex populos, fideq;
Patriâ; est & ferre suis salutem
Promptus amicis.

PSALM. XCVII.

Dominus regnauit, exultet terra.

COElitum Rex regna capessit orbis,
Gaudio exultet solida ergo tellus,
Clausa agat festosq; dies tumente
Insula ponto.
Sit licet circumdatus ille densis
Nubibus, caligine septus atrâ;
Sedis augustæ decus, aequitas &
Ius tamen, alma
Et fides splendore nitente fulgent:
Quin celer praecedit eum voraxq;
Flamma, qua per circuitum feros de-
pascitur hostes.
Fulgure illius micat aether ardens,
Fulminis tellusq; tremiscit ictu;

Instar & cera iuga colliquescunt
Ante IEHOVAM,
Quippè qui immenso dominatur orbi
Solus, à cuius facie tremiscunt
Cuncta, quin gentes etiam profano
Corde stupescunt.
Celsa stellantis memorant olympi
Templa, quàm iustus sit & aquus ille
Arbiter, cuius populisq; cunctis
Gloria visa est.
Hisce confundat pudor ora turpis,
Stipites mentis vacuos honore
Qui Dei dignantur, eosq; flexo
Poplite adorant.
Hos Deos iactantq; suos profanâ
Mente, consueta reputando cultu
Se pios, cùm nil nisi fraus tamen sit
Impia cordi.
Verus est tantùm DEVS vnus, omnes
Quos Deos vanus vocat error, vnum
Hunc colant, huic vota ferant, trementes
Hunc & honorent.
Auribus famam simùl ac IEHOVAH
Hausit hanc, præclara Zion, repleta est
Gaudio, visaq; fuere suantes
Filiæ Iudæ:
Frena quòd rerum teneas per orbem
Solus immensum, & modereris æquo
Iure subiectos populos, probatis
Iudiciisq;,

Competit nam summa tibi potestas,
Omnis ac te terra colit supernum,
Cuncta tu splendore tuoq; dito
Numina vincis

Ergo vos quos tangit amor IEHOVAE
Verus ac ardens, pietasq; cordi
Est quibus, vitate mala, abstinete
Fraude dolosâ.

Vita enim cura est Domino piorum,
Qui carent fraude & vitijs pudendis;
Impia auortit iuga ab his; procul vim
Pellit & omnem.

Deficit quandoq; licet serena
Lux pios; rursùs tamen orta splendet,
Dulcia affectis animoq; recto
Gaudia confert.

O pij laudum memores IEHOVAE,
Gaudio indulgete beato ouantes
Plausibus latis, & honore sanctum ex-
tollite nomen.

PSALM. XCVIII.

Cantate Domino canticum nouum.

IAm nouis planè Dominum & canoris
Canticis efferte; gerit stupendas
Qui quidem res vnus in vniuersi
Finibus orbis.

Dextera virtute sua potentis,
Sæpiùs victor retulit trophæa,

Brachij præstans validoq; sanctj
Robore pollet.
Constat vt diuina salus piorum
Cœtui, res spondet vbi salutem
Nulla. sic gens iustitiæ rigorem
Inpia acerbis
Sentit in pœnis, memor est IEHOVAH
Nam sua clemens pietatis, & promissa quæ quondam dedit Israëli,
Seruat vbiq;.
Incolis fiant ea nota vt orbis
Totius, nostraq; DEVM salutis
Prædicent omnes populi per amplæ
Climata terræ.
Ergò huic ô gens hominum patentem
Sparsa per mundum, date voce læta
Iubila, & plausus manibus leuatis
Edite ouantes.
Tollite hunc & magnificis ad astra
Laudibus celsa, & tibijs amœnis
Barbito iunctus, citharaq; dulci
Psallite eidem.
Quin crepans & sit tuba mixta voci
Cornuum, sit buccina iuncta clangens,
Quæ simùl psallant Domino ferantq;
Iubila Regi.
AEquor immensum strepitus sonoros
Edat, & pisces saliant aquosi,
Cuncta quæ vastus tenet orbis, omnes
Incolæ & orbis

Gestiant, palmas feriantq; riui
Fluminum, duri exiliantq; lato
Gaudio montes, sit quantium vox
Ante IEHOVAM;
Qui venit quò iudicet aquus omnes,
Arbiter terras, populisq; cunctis
Asserat ius, digna cuiq; reddens
Præmia factis.

PSALM. XCIX.

Dominus regnauit, irascantur.

Imperiam sceptra capit IEHOVAH
Iura dans passim populis vtroq;
Axe sub Solis, furit vndè gentis
Turba profana.
Insidens altis Cherubim fidelis
Consulit genti monitis paternis;
Hinc tremit commota fremitq; sœuo
Murmure tellus.
Maximus celsum Dominus Zionis
Incolit montem populos & omnes
Extulit supra caput, vniuersi
Arbiter orbis.
Ergo gens extollat honore nomen
Omnis augustum, & celebret stupendum,
Quo nec est maius, magè nec refertum
Relligione.
Rex potens ius diligit, inq; regno
Illius florent pietas fidesq;.

Tu foues ius, iustitiam Iacobo &
Ipse ministras.
Ferte sublimem Dominum Deumq́,
Laudibus nostrum, abycite ad pedumq́,
Illius vos fulcra, animis parati
Fundere vota
Supplices illi: quia sanctus est Rex
Ipse, & est hoc dignus honore solus,
Numinis summi ratione, laude
Maior & omni.
Nempe quem Mose eximius Propheta,
Præsul ac Aaron, Samuelq́, vates
Sanctus, inter sacrificos celebres
Ritè colebant.
Hosq́, adorantes quoties vocárunt
Nomen illius, Dominus benignè
Audijt, vatisq́, pijs ineſſe
Pondera iussit.
Fortè si oracla in dubijs petebant
Rebus, ijs responsa dabat serenâ è
Nube, quæ formam teretis referre est
Visa columnæ.
Mentibus testata Dei quòd æquis
Non modò accepêre, sed & statuta
Sancta diuina tenuére legis
Pectore fido.
Tu quidem noster DEVS es Iehouah,
Qui dabas aurem facilem querelis
Supplicum, indulgensq́, bonis, seuerus
Criminum & vltor

Ferte sublimem Dominum Deumq;
Ad polos nostrum athereos celebri
Laude, & ad montem sibi q̃ eum dicauit.
Fundite vota.
Nam DEVS noster Dominusq; sanctè
Se gerit, sanctus velut est, & extat
Integer mãrum, maculaq; purus
Vnus ab omni.

PSALM. C.

Iubilate Deo omnis terra.

CAnticis omnes celebrate mundi
Incolæ immensi melicis IEHOVAM,
Optimo rerum genitori amicum.
Pangite carmen,
Huic suum præstate alacresq; cultum
Mentibus puris, & adite læti
Aurea illius resonante in altum
Atria plausu.
Hunc Deum cognoscite, verum & vnum,
Qui polum & terram fabricauit vnus;
Quoq; nos constamus in vno & vnâ
Viuimus omnes.
Non enim nos fecimus ipsi, at ille
Fictor est noster, populus sumus nos
Huius & grex, quem regit ac tuetur
Pascit & almus:
Prouidus ceu pastor oues salubri
Pabulo nutrit, gelidis anhelas

Recreatq; vndis, fouet ac tenellas,
Gestat & ægras.
Ergo gratantes pij adite sancti
Ianuas templi, altisonoq; plectro
Psallite, & magno meritum exhibete
Numini honorem.
AEdis ô nunc limina adite sacra,
Inclytum nomen Domini canentes
Laude condigna; resonate patrem
Voce supremum
Tinnulâ, & præconia ferte laudum
Huic: bonus namq; est pater & benignus
In suos, clementia cuius omne
Constat in æuum.
Sidera absumet simùl ignis ardens
Circulis infixa poli micantis,
Orbis & vastus pariterq; tellus
Tota peribit.
Sed Dei per secula cuncta durat
Veritas, stat firma fidesq; pactis
Semper, ad seros sobolis futuræ
Vsq; nepotes.

PSALM. CI.

Misericordiam & iudicium cantabo

TE DEVS largum venia & fauoris
In pios, contra tetricumq; summi
In malos iuris ratione, culto
Carmine psallens

Laude solenni referam decenter:
Et piè & prudenter agam, mihiq;
Deditis exemplar ero probatæ
Integritatis.

Integer, simplex penitusq; corde,
Hùc ego contendo labore, curâ;
Sedter vt vita rationem ab omni
Labe remotam.

Nil probo quod turpe sit aut iniquum,
Nec fero mecum scelere inquinatos,
Editam nec rem patior dolosis
Ausibus vllam.

Praua cor fingens studijsq; adhærens
Improbis odi, procùl arceoq;,
Est & exosus tacitus mihi de-
lator amici.

Non fero, quicunq; oculis prælatis
Insolens, temnensq; alios superbit,
Perq; vim rectos premit arroganter
Corde tumescens.

Sed mei attendunt oculi in fideles
Incolas terræ, socios requiro
Quos mihi; quin sedibus hos ijsdem
Colloco mecum.

Integrum quem non piget esse vitæ
Purum & infandi sceleris, ministrum
Hunc mihi fidum statuo & probatum
Diligo solum.

Artifex fraudis scelerataq; & autor
Artis inuisæ, trabibus manebit

Sub meis nullus; nec & ante me, quicunq; loquetur
Vana consultò potè stare firmus:
Manè per totosq; dies recidam
Impios terræ, faciamq; abactos
Hinc procùl omnes.
Vrbe quò tandem Domini sacratâ
Exsulet gens reprobra eatq; pessum,
Et pius tantùm maneat superstes
Cœtus in illa.

PSALM. CII.

Pœnitentialium Quintus.

Domine exaudi orationem.

ADmoue lenem precibus IEHOVAH
Iam meis aurem; miserante mente
Verba clamantis tremulosq; mœsti
Percipe fletus.
Ne mihi abscondas faciem paternam
Tetricus, dum sorte premor maligna,
Ah ades mitis, faciles & aures
Flecte precanti.
Quando te clamans prece posco anhelâ
Et tuam solius opem misellus
Expetens desidero, sis paratus
Ferre salutem.
Namq; ceu fumus tenues in auras
Vita vanescit mea, torris instar
Corpus exustum iacet, humor almus
Ossa reliquit.
Cor meum luctus cruciat quatitq;

Impetu tanto, vt, velut herba Solis
Torrida arescit nimio sub æstu,
Aridum anhelet:
Hinc cibi vix vino memor fouentis
Membra; præ fletu gemituq; mœsto
Est cutis tàm tabida, vix vt vlli ad-
hærear ossi.
Ceu colit saltus Pelicanus ales
Auios; ceu Noctua, qua latet sub
Dirutis tectis, viduusq; turtur
Compare, luget:
Sic ego sum soliuagus, sedensq;
Squalidus luctu lachrimisq;, crebrò
Ingemens noctes vigiles diesq;
Exigo totos.
Dum mihi illudunt petulanter hostes
Barbari, irrisumq; petunt nefandâ
Fraude; quin iurant etiam sceleſti
Per mea damna.
Hinc mihi est pro pane cinis, leuisq;
Puluis est pro polline, fletibusq;
Misceo potum assiduus, biboq;
Pocula amara.
Sed malis me prægrauat ira tantis
Et tua indignatio, magne IOVAH;
Qui loco exaltas me, iterum locoq;
Deijcis alto.
Instar est vmbra mea vita, in auras
Quæ citò euanescit, & instar herbæ
Quæ die arescit medio, interitq;
Solis ab æstu.

Cuncta sed per secula viuis vnus
Tu DEVS, nomenq; tuum celebre
Nulla non atas memori piaq;
Mente tenebit.
Ergo nunc sortem miserans Zionis
Lenis exsurge; vtq; soles fauore
Patrio dignatus, eam deinceps
Perge tueri.
Ne moram nectas precor, ô salutis
Autor; en iam tempus opis ferendæ
Instat, opportuna dies & hora
Vltima venit.
Nam tui votis cupidis fideles
Expetunt omnes, pia templa & vrbem
Vnicè caram tibi, ritè rursùs
AEdificari.
Hincq; diiectos lapides subindè
Illius, dispersaq; celsa spectant
Mœnia, ac optant ea sarta tecta
Restituenda,
Vt tuum gentes metuant remotæ
Numen, & Reges, populiq; toto
Orbe terrarum venerentur atq;
Nomen adorent.
Rursùs ô si reædificet IEHOVAH
Dirutos muros placitæ Zionis,
Sicq; maiestatis honore clarus
Conspiciatur.
Flectit ad voces miserorum amica
Lumina, & tutore preces carentûm

Percipit mitis, neq; vota eorum
Feruida spernit,
Ista mandentur tabulæ fideli,
Nota quò per secla futura fiant
Posteris æterna quibus IEHOVAE
Gloria duret.
Sedibus namq; æthereis subindè
Prospicit, terrenaq; perspicaci
Lumine obseruat, miseris salutem
Ferre paratus.
Lenis vt captos miserè gementes
Audiat; iam vincula dura passos
Et neci addictos rabidæ, molestâ
Compede soluat.
Vt Zion nomen celebret IEHOVAE,
Illius laudesq; canant sacrata
Templa famosa Solymorum in vrbis
Arce suprema.
Hanc petent cœtus populi frequentes
Orbis exciti procùl è remotis
Finibus, qui sacra ferent, Deumq;
Regna timebunt.
Vt mei confregerit ipse durus
Corporis robur viridi in iuuentâ,
Tempora & vitæ spacioſa in arctum
Traxerit æuum:
Mi DEVS, clamo tamen, ò salutis
Autor æterna, prohibe, cruenta
Ne mihi mors in medio propinquet
Tempore vitæ.

Tu DEVS rerum genitor per omne
Permanes æuum, ſtabilique terra
Fulcra firmaſti; tua fabricauit
Dextera cœlos.
Sidera abſumet violentus ignis,
Terra, mutatâ ſtatione, tandem
Funditùs cùm iuſſeris ipſe, eodem
Igne peribit.
Semper at ſolus ſine fine flores
Viuidus: detrita velut per vſum
Veſtis, immutata tuo interibunt
Cætera iuſſu.
Tu tui ſemper ſimilis ſed vnus
Permanes, annique tui carebunt
Fine; ſint quamuis habitura finem
Terra poluſque.
Interim prognata tamen ſuperſtes
Gens tua ſeruis erit, vt benignè
Dante te, cum ſemine longo amicâ
Pace fruantur:
Conſcij vitæ & ſibi non nocentis,
Te colent ſanctè, ante tuosque vultus
Seculis cunctis teneant beati
Cœlica regna.

PSALM. CIII.

Benedic anima mea Domino.

PAnge præclarum mea mens IEHOVAE
Carmen, abſtruſis latet vigorus
Si quid in fibris, ferat huius alta
Nomen ad aſtra.

Pange præclarum mea mens IEhoua
Carmen, illius tibi nec canenti
Excidant, gratâ memoranda voce,
Præstita dona.
Qui bonus prauo tibi quæ patrâsti
Mitis ignoscit mala cuncta, morbos
Et tibi tristes Medicus resoluit,
Membraq; sanat.
Qui tuam vitam redimit rapaci
Morte, teq; vltrò bonitate largâ
Et fide replens, veluti coronâ
Cingit & ornat.
Ore quæ poscis tibi cuncta donat
Aliti ceu flammigero, iuuentam
Reddit, impubes iterum tuosq;
Efficit annos.
Vindicat pro iustitiâ & seuero
Iure, perpessos mala dura iniquè,
Asserens à fraude, bonis parat quam
Improba turba.
Ipse monstrauit propriasq; Mosi
Semitas, vitæq; modum decentis,
Isaci natos sua gesta scire
Fecit & idem.
Mitis indulget veniam IEHOVAH
Supplici turbæ; venit ira lento
Illius, clementia vortit antè
Præpete gressu.
Non mouet lites citò (more nostro)
Tardus irasci, nec acerba nectit

Iurgia, offensæ memor vt nec iras
Seruat in æuum.
Non quidem pro criminibus patratis
Tractat is fontes, mala rependit
Pro malis ausis, tribuit nec æquæ
Præmia culpis.
Quàm situs cœli superat supremi
Infimam terram, bonitas in omnes
Illius tàm larga patet timentes
Numinis alti.
Quàm procùl Sol occiduis ab oris
Distat exortus; scelus omne nobis
Tàm procùl, nostram miserando sortem,
Ille remouit.
Sit patris quandoq; licet seuera
In suos natos facies, amica
Mens tamen semper manet, & iuuandi
Prompta voluntas:
Sic, vt interdùm aspiciat IEHOVAH
Tetrico vultu miseros, timentes
Se tamen blandus fouet ac paterno
More tuetur.
Namq; nos olim velut ipse finxit:
Sic opus quàm debile simus idem
Nouit exactè, & meminit quòd orti
Puluere simus.
Quin homo est fœno similis virenti,
Cui data in pratis mora parua standi est;
Flosculus ceu floret agris tener, sic
Floret & ipse,

Quem loco spirans grauis aura, turbat
Sic suo, vt vestigia nulla sedis
(Sit licet tellure satus feraci)
Linquat auita.

Sic manent omnes inopina fata
Et citò euertunt rapiuntq; secum
Impios qui numina sancta spernunt
Mente superbâ.

Sed pios seruat bonitas IEHOVAE,
Semper, incumbitq; super timentes
Se, manet proliq; pia perenni
Tempore præsto.

Quin & in longam seriem Nepotum
Id genus, qua iustitiâ remittit,
Sontibus culpas, fouet ac tuetur
Omne per æuum.

Fœderis seruent modò si sacrati
Pacta, constanter teneantq; legis
Scitu diuinæ, studeantq; factis
Iussa referre.

AEthere in celso solium IEHOVAH
Ipse supremum sibimet parauit:
Rex vbi solus dominatur amplo
Maximus orbi.

Ergo iam laudes Domino ministri
Cœlites pangant, validi potentes
Robore & neruis, data iussa obire
Spontè parati.

Tuq; bello accincta cohors supremi
Audiens dicto Ducis atq; iussa

Exequi gaudens meritis IEHOVAM
Laudibus effer.
Cuncta quæ fecit Dominus potente
Dexterâ, & sub iure suo per orbem
Continet vastum, date digna eidem
Munera laudum.
Mens mea ô carmen Domino canorum
Psalle, fer gratesq; modus nec vllus
Sit tibi laudes cecinisse dlo
Numine dignas.

PSALM. CIV.

Benedic anima mea Domino.

SOlue iam grates mea mens IEHOVAE,
Iam tibi sit carminis orsus autor
Et parens rerum, cane clarâ eundem
Voce potentem.
Cœlitum Rex maxime, quàm per omnem
Sancta maiestas tua visq; molem
Ampla se fundit? rutilo decus te
Ornat in auro.
Lucis est instar tua vestis alma,
Cuncta quod sub se tegit, ipse, cœlum
Explicas: tentoria miles acer
Pandit vt alta.
Tu facis sub fornice curuo olympi
Ardua ex puris tabulata lymphis,
Atq; pro curru veheris citato
Nube volucri.

Ange-

Angelos, parent tibi qui ministri
Vertis in ventos celeresq; flammas,
Sint vt accincti, & tua sponte semper
Iussa capessant.
Cardine immoto basibusq; firmis
Ipse fundâsti stabilem, nec vllis
Mobilem terram refugamuè seclis,
Pondere grandi.
Hanc tegis, ceu veste profundâ abysso,
Quæ tuo iussu ardua sæpè vincit
Culmina, & montes superat marinis
Fluctibus altos.
At simùl voce increpitans tremendâ
Intonas, & fulmina torta olympo
Mittis iratus, fugiunt retrorsùm
Æquoris undæ.
Eminent montes & ad astra surgunt
Saxei, hîs vallesq; caua iacentes
Sub, tenent fixo loca quæ paraſti
Limite pressa.
Tu vagis metas statuisti & vndis
Quas minùs transire suo recessu
Audeant, vultusuè operire terræ
Rursùs amœnos.
Fontibus de flumina magna paruis
Elicis, montana rigetur inter
Arida, vt tellus lapidosa, ruptis
Sponte lacunis.
Hinc sitim vt sedent pecudes feraq;
Bestiæ in syluis, onagriq; segnes,

Incolunt qui scrupea saxa, montes
Inter opacos.
Riuulos propter volucres aquosos
Considunt, lataq; canunt sub almis
Frondibus, dulce & resonante voce
AEthera mulcent.
Nubibus rorem gelidis & imbrem
Desuper mittens, hilaras beningâ
Fruge tellurem, saturasq; culram
Vbere fructu.
Hinc vt armentis sua bestijsq;
Cæteris te gramina dante crescant,
Hinc & assurgant hominum feraces
Vsibus herba.
E solo caltum Cererem recludis
Fertili, viniq; rubentis vuas;
Corda vt à curis hilarent soluta &
Corporis artus
Languidos multo releuent labore;
Elicis pinguiq; oleâ liquorem,
Reddat vt frontem nitidam, & vigore
Seruet alacrem.
Sufficis dulcem arboribusq; succum
Ipse, odoratis Libani coronas
Verticem Cedris, hominum arte nullo
Semine iacto.
Hic suis nidos fabricant volucres
Garrula pullis, Abiesq; sedem
Aliti præbet pia cui parentum &
Mutua cura est.

Auij montes timidis receptum
Exhibent Damis, caua saxa pandunt
Et sinum, abstrusis habitant Echini
Tuti & in antris.
Menstruam cursu dubio vagantem
In poli Lunam medio creasti
Sol sui occasus stata ritè semper
Tempora seruat.
Tu facis cœcas tenebras quietæ
Noctis, humanos sopor vt suauis
Occupans artus recreet, petit dum
Oceanum Sol.
Tumq; se ex antris moueant profundis
Bestiæ, & rauco catuli Leonum
Te DEVM rugitu epulas & alma
Pabula poscant.
Sed simùl fulgens roseis capillis
Ex aquis aurora micat, recondunt
Se, sua in lustra & referunt pedem, cum
Luce relatâ.
Ast homo noctis placidâ quiete
Iam satis fructus redit ad labores,
Queis paret victum inuigilans, rubens dum
Hesperus adsit.
O parens rerum tua quàm figuris
Dextra formauit variis, stupendum
In modum, res ac opera, è quibus mens
Prouida lucet.
Quàm tuis est terra referta donis
Et bonis fœcunda? quot æquor amplum

Reptiles magnos fouet & minores
Quotq; natantes?
Turgida hic naues agitant volucres
Vela, & hic ingentia monstra ludunt.
Horrida & visu comeant licenter
Grandia Cete.
Cuncta te pendent pater alme ab vno,
Te suo poscunt propriumq; victum
Tempore, expectantq; tua benigna
Munera dextra.
Te pio pandente manum parente
Omne viuentum genus haurit escas,
Colligens disponit & has suosq;
Seruat in vsus.
Te sed abducente iterum paterna
Mentis affectum faciemq; amicam;
Cuncta turbantur gelido tremore
Atq; fatiscunt.
Subtrahas si corpora viuida aura,
Pristinos mox in cineres ferentur,
Ac erunt sic exanimata nil, quàm
Putre cadauer.
At simùl spiramen ab ore vinum
Ipsus efflarit, subitò creantur
Rursus, & fiunt magnæ pulchra cuncta, ac
Antè fuerunt.
Te tuum mittente sacrumq; flamen
Oeyus dicto renouatur omnis
Terra, & exurgunt sua læta latis
Gramina campis.

Laus

Laus honorq; & gloria magna Iona
Fine cum nullo celebris manebit:
Quin suis gaudebit & ipse factis
Conditor almus.

Facta qui expendens hominum, probata
Sint nè, cum cœlo nitido flagrantes
Deijcit in terras oculos, tremiscit
Ictibus ægra

Terra, proceri trepidantq; montes,
Cùm grauì dextrâ ferit is; vaporant
Fumeam nubem igniuomo tonantis
Fulmine tacti.

Accinam latus Domino DEO q,
Illius laudes referens sonoro
Carmine, hos donec reget ac fouebit
Spiritus artus.

Dum fruar vitâ Domini fauore,
Illius gratâ celebrabo nomen
Mente, cui soli mea cuncta meq;
Debeo totum.

Si Deo quas fundo preces probentur,
Grata sint quæ concipioq; vota;
Hoc nihil lætor magè, nam IEHOVAH ob-
lector in vno.

Praua patrantûm scelerata turba
Excidat cunctis pereatq; terris
Funditùs, cum stirpe repullulante
Tempore nullo.

Sed DEVS te, quem penes est potestas
Omnis & ius omne, canam perenni

Laude; quod carmen mihi cœpit abs te,
Desinet in te.

PSALM. CV.

Confitemini Domino & inuocate.

QVas Deo debetis habete mente
Gratias totâ, memorate sanctum
Nomen illius, celebriq; laude
Tollite ad astra.
Gentibus passim spacioso in orbe
Exteris, illustria facta moresq;
Eius, & miracla referte honori
Carminis orsis.
Psallite & cantate simul ferentes
Laudibus, quas edidit ipse miras
Res, & illius celebrate sanctum
Nomen vbiq;.
Omnium cor lætitiâ resiliet
Qui pij cultus Dominum requirunt
Causâ, ad illius cupidi decenter
Viuere nutum.
Vos pij cognoscite robur eius,
Poscite & vultus patrij fauorem;
Dum bonus vobis facilemq; præbet
Ipsemet vltrò.
Cunctaq; in mentem reuocate vobis
Mira, quæ quondam patribus IEHOVAH
Fecit, & quæ scita sacro reliquit
Edita ab ore.

Vos genus sanctum, famuli fidelis
Abrahæ, prolemq; piam Iacobi,
Alloquor, quem sorte sibi ille certâ e-
legerat olim.
Qui quidem noster Dominus DEVS q; est,
Arbiter rerum patulum per orbem
Legibus certis populos gubernans
Iudicijsq;.
Fœderis sacri meminit perennè,
Creditiq; in secula mille verbi:
Abrahæ qua pactus erat parenti
Ante tot annos;
Illius iurata deïn probauit
Filio, & firmata dedit Nepoti
Iura, non mutabili & Israëli
Lege tenenda.
Aduenis illic numeroq; paucis,
Hospitium migrantibus hùc & illùc
More, nunc has nunc alias q; gentes,
Extera regna,
Sæpiùs visentibus, (haud amica
Exsuli genti) pater ille summus
Incolas passus nihil est nocere
Viué doloué.
Quin minis Reges etiam potentes,
Viribus fortes proceresq; regni
Terricus compescuit ipse vindex
Gratiâ eorum.
Ne meos inquit violenter vnctos
Tangite, his absistite, nulla prorsùs

Damna

Damna eis inferte, meis Prophetis
Parcite sanctis.
Cum famem in terras rabidam vocaret
Diuites quondam, & genus omne panis
Incolis subduceret ipse latè in
Omnibus oris:
Prouidus præmisit in arua Nili
Fertilis, pulchræ genitum Rachelis,
Vendidit quem sordidus ære Mango ad
Munia serui.
Qui diu in tetri latuit tenebris
Carceris, cum compede crura vinctus;
Dum pia explorata fides loquelæ
Facta probaret:
Ferreis cùm Rege iubente vinclis
Liber adductus, fruitur soluti
Gloria somni, Dominusq; regni
Nutritiusq;.
Nempè quem Rex ædibus vrbibusq;
Præficit regni cui opes & amplas
Dat ministrandas, Ducibus suæq;
Omnibus aulæ
Arbitrum summum statuit, paterno
More præscribat facienda vt ipsis
Consiliis canos Iuuenis senesq;
Instruat aptis.
Israël tandem patrijs ab oris
Prole cum totâ fugiens ad arua
Diuitis Nili, sibi castra fixit,
Hospitijsq;

Aduena est exceptus Iacob Hami:
Sic vbi creuit Domino faciente
Fœtibus stirps illius, vt vel hostes
Exsuperarent.

Chamidûm gentis q; palàm proterua
Corda conuertens odys superba,
Siuit vt fidos male cogitarent
Perdere seruos.

Mittitur Moses famulus fidelis
Postmodò, electusq; Aaron Sacerdos;
Illius qui signa dabant stupenda, &
Prodigiosa.

Chamea terra populo feroci:
Si nouus Rex territus hisce forsàn
Aduena genti foret æquior quàm
Esse solebat.

Ergo cum serui incipiunt Potentis
Exequi iussa, eripit atra claram
Nox diem, densæ tenebræ obruunt AE-
gyptia regna.

Piscibus pura viduata & vndæ,
Imbibunt terrum punitùs cruorem:
Terra tot ranas parit, alta per pa-
latia Regis.

Vt cateruatim saliant, & aulas
Principum infestent, humilis casasq;
Plebis inuadant pecorumq; caulis
Insinuent se.

Quin Deo venêre genus iubente
Omne vesparum, cyniphesq; putres,

Ac domos, caulasq́; replére & aulas
Et loca cuncta.
Imbribus pro terra tulit gelatas
Grandines, immisit agrisq́; cultis
Fulmen infestum DEVS, & peremit
Igne colonos.
Hinc ferax vitis perit icta, ficus
Interit fœcunda virensq́; semper,
Imò & in cunctis cadit omnis arbor
Finibus istis;
Scilicet confracta comisq́; nuda,
Floribus pictis spoliata & almis
Fructibus, prabens alimenta tantùm
Ignibus atris.
Vt DEVS mandat, subitò locusta
Irruunt sœua, & genus omne Brachi
Conuolans, & germina cuncta campi exodit & herbas.
Alma quas fruges tuleratq́; tellus
(Et boum culta ac hominum labore)
Dentibus cessére gregis voracis
Protinùs omnes.
Tot malis affecta subindè Nili
Regia horrendis; tamen obstinatè
Cùm ferox persisteret in suetâ
Impietate:
Sœuijt tandem grauius cruenta
Pœna: nam mors primitias repentè
Sustulit caræ sobolis, per omnem,
Horrida terram

Inde ſemotum populum IEHOVAH
Proprium eduxit, pretioſo onuſtum
Vaſe, ab argento nitido, micante,
Splendido & auro.

Exeant ſex mille licet virorum,
In Tribu nullâ tamen eſt repertus
Debilis quiſquàm, ſederant valentes
Viribus omnes.

Ergo Rex plagis Domini ferendis
Impius deſeſſus, abire tandem
Hos ſinens gaudet ſibi, gensq́; lato
Accola Nilo.

At DEVS *gentis ſibi caſtra lectæ*
Per diem nube altiuolante texit,
Noctis illuſtrans tenebras opacæ
Igne coruſco.

Cùm cibos votis cupidis rogarent,
Alitum venit celeri volatu
Grex ſtrepens, paniuq́; pluit per auras,
Rorus vt imber.

Tùm ſiti ſœuâ populis anhelis,
Arida exſiccataq́; ſolitudo,
Saxea de viſcere rupis hauſit
Flumen aquarum.

Nam parens quod Thariadæ benignus
Præſtitit verbo, meminit, ſacrato,
Fœderis, promiſſa fideq́; ſeruat
Intemeratâ.

Quin ſibi electum populum IEHOVAH
Gaudio eduxit ſolido fruentem,

Barbarę gentis benè cultą & illi
Tradidit arua.
Scilicet pulsis procùl hinc colonis
Priſtinis, ac antè labore duro
Parta diuerſis populis ſuis ſa-
crauit amicis.
Fœdus vt ſacrum memori tenerent
Mente, diuina facerentq; legis
Iuſſa; deuotis animis piaq;
Voce Haleluia.

PSALM. CVI.

Confitemini Domino quoniam.

CONfitemini Domino quoniam
Laudibus grati; quoniam beatum
Eius eſt in ſecula cunctis ſanctis
Nomen amicum.
Ore quis proferre queat IEHOVAE
Fortia admiranda nimisq; geſta?
Quis canat praconia tanta laudis
Eius, vt æquum eſt?
Omnibus grex ô numeris beatus
Ille, qui præcepta pia tuetur
Legis, ac omni ſtudijs inhæret
Tempore rectis.
Quæſumus noſtri memor es IEHOVAH,
Pro tibi aſſuetâ pietate; genti
Ceu tua promiſſa fides requirit.
Conſule nobis.

Ferre quam solusq; potes salutem
Adfer oppressis; simùl vt fruamur,
Qua, tuo gaudet tibi plebs amata
Munere, sorte.

Inter haredesq; tuos relati
Læta plaudentes capiamus vnà
Gaudia, & cantu Dominum patremq;
Te resonemus.

Heu pudet; patres veluti scelesti,
Sic & illorum scelerata proles;
Ante te deliquimus impieq;
Egimus omnes.

Namq; in AEgypto mediâ videntes
Tot tua portenta tremenda dextra,
Mentibus perpendere nil iuuabat,
Nec meminisse

Quàm parens ipsis fueris benignus:
Quin tuâ clementiâ abusa ad vndas
AEquoris rubri, nimiùm rebellis
Cognita turba est.

Ne tamen fidum minùs impotensué
Barbari numen superum putarent,
Iuuit hos seruans proprio IEHOVAH
Robore saluos.

Sic sui fecit celebremq; famam
Nominis, toto vt foret orbe nota,
Et sibi virtute suâ pararet
Laudis honorem.

Nam maris fluctus rapidi, minantis
Voce cesserunt, data sicca ponti

Est via in vasti medio, sibi quâ
Duxit euntem
Prævius carum populum IEHOVAH;
A trucis donec manibus Tyranni
Liberi prorsùs, tenuêre cuncti
Littora tuta.
Vnda sed rursùs revocata, turmas
Hostium absorpsit properante fluctu;
Sic quidem, vt tot mille maneret inter
Nemo superstes.
Tum licet compos populus salutis,
Credidit verbis Domini piq;
Patris, illius cecinitq; laudes
Carmine honoro:
Tot tamen miracula, tot pericla
Prisiina effluxêre animis repentè;
Nec locum gens consilio reliquit
Prava salubri.
Quin gulæ qua ventricolæ libido intemperans suasit cupiêre; nullus
Quos pudor tentare DEVM vetabat,
Per loca sola.
Protinùs queis ille tamen petita
Impiè, concessit amaram ad vsq;
Nauseam, missi peperit cibi quam
Copia diues.
Sed feras nec pœna seuera mentes
Flectere, vt nec gratia blanda quiuit
Consilii tandem vt cuperent suis absistere pravis.

Quin & in castris petière stulti,
Et Ducem summum inuidiâ malignâ,
Et Ducis Fratrem, Domino sacratum
Nempè Aaronem.
Huic vorax (mirabile visu) aperta
Terra deglutiuit hiante fauce
Principes ambos, reproba cohortis,
Dathan, Abiram.
Ignis exardens socios eorum
Impios mox vindicibusq; flammis
Prorsùs absumsit, stygius peremit
Orcus & omnes.
Tot sed horrendis nihil ista pœnis
Mota gens, finem sceleri nefando
Nec modum fecit, facinus sed atrox
Insuper ausa est:
Nempè in Horebi gelidu iuuencum
Cantibus fusum coluere numen,
Cùm Dei se flexit imago tauri i-
magini, adorans.
Sic suum vertère decus profani in
Diuitis conflatile numen auri;
In bouis torui simulachrum edentis
Gramina sylua.
Haud sua auteris memores adepta
Nuper AEgypto in mediâ salutis,
Edidit miranda vbi facta paulò
Ante IEHOVAH.
Gesta Chameis memoranda in oris,
In mari rubro metuenda facta

Sunt

Sunt eis oblita, tenenda erant quæ
Mente recenti.
Quare & iratus statuit scelestos
Funditùs delere; nisi salutis
Mox opem delectus amore Moses
Sponte tulisset;
Vota dum fudit pia pro rebelli
Gente, queis frenare tonantis iram
Ante stans vultum valuit, frequens vt
Fecerat antè.
Nec tamen sic passa procax moueri
Turba se est, vel corrigi, vt à furore ab-
sisteret; quin antè diu expetitæ
Commoda terræ,
Vnius vix omnia fecit assus:
Nec fidem dictis habuit docentis
Mosis, vt nec Barbara pollicentis
Regna IEHOVAE.
Imperi plane impatiens tumultu
Castra compleuit fremituq; sæuo,
Improbis temnens petulanter ausis
Iussa potentis.
Extulit vindex igitur IEHOVAH
Dexteram, prosternere iam paratam
Prorsùs ingratum populum, subindè
Atq; rebellem.
Liberos cum patribus vt per amplas
Dissipet terras, sinat & profanis
Gentibus seruire genus sibi quod
Legerat ante.

Nec malos sic turba proterua pœna
Mota correxit grauitate mores;
Mortuis, sed sponte dijs odora
Thura litauit.

Quin Phegor (fœdo populi procaces
Ore quem dicunt, pudor heu, Priapum)
Ante se prostrauit humi, execrandum
Numen adorans.

Tùm dijs oblata etiam nefandis
Impiè funesta comedit vltrò
Sacra, Diis prorsùs ratio negata
Est quibus omnis.

His DEVS factis studijsq; prauis,
Denuò iustâ exstimulatus irâ,
Improbam mox pestiferâ peremit
Clade cateruam.

Dum pio motus Phineas Sacerdos
Inclytus Zelo, minuit cruento
Ense, sedauit precibusq; plagam
Exitiosam.

Vnde & æternum decus atq; iusti
Nomen, & laudem celebrem esse adeptus,
Occinent quam carminibus futura
Secla nepotum.

Mox aquas propter Meribæ IEHOVAM
Rursùs offendêre, malè id quod ipsi
Mosi ob illorum furiam deinde
Cessit iniquam.

Spiritu turbatum etenim fefellit
Linguæ præcurrens cita sæpè mentem,

Perperàm proferret vt ore quadam in-
credula verba.
Barbaras delere nec enſe gentes
Ceu erant iuſſi, voluêre; mixti
His ſed illorum didicêre mores
Prauaq; facta.
Quin adorárunt etiam profana
Numina, his ſeruire ſimùl parati,
Vt nec eſt nec cura quibus tributa
Vlla iuuandi.
Prater hac & pignora cara lecti,
Filios & filiolas tenellas
Immolárunt Dæmonibus malignis,
Manibus imis.
Prolis (heu immane) nihil nocentis
Sanguine effuſo Chanaan nefaſtos
Efferi Diuos coluêre, ſicq;
Cæde cruentâ
Eſt palàm polluta ſacrata tellus:
Quin profanárunt ſua per nefanda
Facta ſe, inuertêre thoriq; ſacri
Iura colendi.
Dum patrant tàm grande malum ſceleſti,
Feruida offenſi magis arſit ira
Numinis, ſuccenſa furoris æſtu
Impatientis.
Sic, vt hanc, quam ſorte ſibi IEHOVAH
Legerat gentem, ſic abominatus
Iam ſibi exoſam; malè nempè gratam
Atq; rebellem.

Hostilibus tandem iuga sub seuera,
Imperi planè violenti acerbis
Tradidit quam mancipio subactam a-
trocibus armis.
Dura perpessam mala dum IEHOVAH
Abstinens iræ eriperet prementûm
Hostium sœuâ feritate, vindex
Iustus & æquus.
Perfida at gens sæpè relapsa retrò est
Consiliis aduersa suis IEHOVAE;
Vnde & ad paucos numero redacti
Occubuêre.
Nempè puniti ob malè tot patrata
Facta; sed clemens iterùm respexit
Corde contritos DEVS atq; pressos
Rebus ab arctis.
Audijt tristesq; bonus querelas
Supplicum, sacri memor ipse pacti,
Fecerat quod cum patribus tot ante
Secula sanctis.
Quin & ipsum pœnituisse pœnæ
Mira res, sed digna pio parente est:
Gratiâ iuris superante summi
Nempè rigorem.
Barbaras durissima corda gentis
Flexit, vt dignos veniâ putaret
Vinculis captos, placidè & foueret
Quos prius odit.
Quæsumus noster DEVS ô tuérc
Nos memor nostri, eq; alijs profanis

Genti-

LIBER QVARTVS.

Gentibus nos collige cogitoq,
Mœnia in vna.
Vt tuum sanctissimum in omne tempus
Nomen, & numen celebremus vnà,
Et tuas læto pariter canamus
Carmine laudes.
Quem pius solum Isacides IEHOVAM
Et Deum verum coluit, benignum
Et patrem, hunc & posteritas piorum
Laudet adorans.
Orbe clarescat DEVS *Israelis*
Magnus in toto, sit honor perennis
Huic, canat cœtus pius omnis Amen
Atq, Haleluia.

FINIS LIBRI QVARTI.

PSALMORUM
LIBER QUINTUS.

PSALM. CVII.

Confitemini Domino, &c.

Vocibus iunctis animisq, grates
Dicite, ô gens sancta, patri supremo;
Cuius æternum bonitas fidesq,
Durat in æuum

Hunc canant grato simùl ore cuncti
Laudibusq; illum meritis celebrent,
Quotquot exemptos mediis periclis
Ipse redemit.

Quos sibi è terris varijs coactos
Asserit; quâ Sol oriens ab vndis
Surgit, occasumq; petens, supinas
Tendit ad vndas.

Frigidus quâ tàm Boreas, tepens quàm
Auster, & terra solido iacentis
Pondere, & vasti spacia ampla ponti
Murmure perflant.

Sola qui errabant loca peruagantes
Quâ patent vestigia nulla terras
Pristina ad cultas domibus nec vllæ
Commoda sedes.

Cùm cibi potusq; inopes peresi
Tabe crudeli querulâ rogarent
Voce clamantes Dominum, benignus
Audijt illos;

Eruit curis grauibusq; anhelos:
Dux via monstraust eisq; rectam
Semitam, qua per loca tuta cultas
Ferret ad vrbes.

Ergo agant grates Domino patriq;
Tàm pio, natis hominum per orbem
Edidit qua mira simùl patentem
Facta canentes.

Quippè qui latis dapibus refecit
Limpidusq; vndis animas anhelas,

Prouidus replere bonis egentes
Sapè cupitis.
Noctis in cœca tenebris sedentes
Carcere inclusi, domitiq; vinclis
Ferreis, peioraq; morte passi
Tempore multo;
Nempè præceptis Domini rebelli
Quòd recusárunt obedire mente,
Impiè & spreuere tonantis alti
Iussa tremenda.
Cùm malis fracti grauibusq; curis
Iam ferè exesi caderent, nec esset
Præstò qui conferret opem salutis
Vllus amicus.
Donec afflictos humilesq; corde,
Voce clamantes validâ, IEHOVAH
Audijt tandem miseros periclo ex-
emit & omni.
Quos & ex atris tenebris in auram
Lucis eduxit nitidam serena,
Vincla disrumpens, quibus & soluta
Crura remisit.
Ergo agant grates Domino patriq;
Tàm pio, natis hominum per orbem
Edidit quæ mira simùl parentem
Facta canentes.
Ferreos effregit & ille vectes
AEreas misso petijtq; portas
Fulmine infesto, foriumq; clausira
Rupit ahena.

Cùm

Cùm darent ſtulti ob ſua facta pœnas
Improba vltrices, fuit his ſolutum
Corpus à languore graui, propinqua
Mors & acerba.

His quibus faſtidia lenta menſa
In diem obduxére animas opimas:
Sic vt optatis fieret vel agris
Nauſea in eſcis.

Sed ſimùl clamore adiêre IOVAM
Flebili in rebus miſeris, miſertus
Supplicum, promptus tulit his petitam
Ille ſalutem.

Verbum enim miſit medicum, ferâq;
Morte ſanatos rapuit, vigorem,
Antè qui membris erat, artubusq;,
Reddidit idem.

Ergo agant grates Domino patriq;
Tàm pio, natis hominum per orbem
Edidit quæ mira ſimùl patentem
Facta canentes.

Et Deo libamina ſacra laudis
Offerant, donis cumulent & aras
Ceu decet, læti memorent & eius
Inclyta facta.

Qui mare aſcendunt tumidum carinis
AEquor & ſulcant rapidum recuruis,
Lucra quærentes obeuntq; magnis
Munia in vndis;

Facta vidêre attoniti IEHOVAE,
Plurima, expertiq; fuêre mira;

In fretis torrentibus & profundis,
Digna ſtupore.
Ipſo enim mandante, procella ventis
Concita irrumpit ſubitò atq; turbat
AEquor, & fluctus reſonos ad alta
Sydera tollit.
Moxq; detrudit ſtigÿ ad barathri
Antra, & hinc ſunt tangere viſi olym pum
Illi, & abſorpti citò rurſùs imis
Crediti abyſſis;
Imò defecêre animis trementes
Ora pallentesq;, velutq; vino
Nutat oppreſſus, pedibus vacillans,
Greſſibus errans:
Sic ÿ, dum fluctuat hùc & illùc
Turgidus ſublata carina ventis,
Mente iam ſanâ trepidant remoti;
Nulla ſalutis
Spes vbi apparet ſupereſſe, nilq;
Conſilÿ; nec prouida cura cani,
Nec iuuat nunc ampliùs ars Magiſtri
Callida quicquàm.
Rebus anguſtis ita, rurſùs illos
Arduo clamore DEVM vocantes
Audÿt, cunctis miſeros periclisq;
Eruit idem:
Nempè tempeſtate ſilente, iuſſu
Eius, & ceſſante maris procellâ
Turbidi, & motis poſitis furente
Fluctibus aurâ.

Iamq; sedatas placidasq; ob vndas
Gaudio nauta solido fruuntur:
Et quod optatum tetigit Phaselus
Nautica portum.
Ergo agant grates Domino patriq;
Tàm pio, natis hominum per orbem
Edidit qua mira simul patentem
Facta canentes.
Inq; conuentu populi frequentis,
Atq; consessu nitidi Senatus,
Efferant dignis super alta IEHOVAM
Laudibus astra.
Hi, quibus siccata fuêre magna
Flumina, & riui salientis vnda
Puluere obstructi bibulo, vigore
Cassaq; tellus
Pristino, est iussa in sterilem salinam
Ire, ne latas velut antè fruges
Ferret, ob noxas scelerum & nefanda
Facta colentûm.
Rursùs at glebis sitientis agri
Misit vndantes fluuios, paludes
Fecit & stagnare pigras aquarum
Flumine viuo.
Hìc fame oppressosq; graui locauit
Condere ac vrbes habitacla iussit;
Et recens structas moderari habenis
Legibus aptis.
Credere & vites scrobibus feraces,
Semina & sulcis, repetant maturo

Inde vt optatos sibi colligantq;
Tempore fructus.
Almus idem multiplici auxit illos
Prole, ditauit pecorisq; fœtu
Plurimo, queis & potiora votis
Addidit vltrò.
Gens vbi sed grata parùm IEHOVAE,
Illius contraria multa legi
Fecit, iratus subitò retraxit
Dona tributa:
Iustus vt vindex, animosq; acerbis
Efferos & corda superba panis
Corrigens, pressoribus & tyrannis,
Ipse subegit.
Sprenit & regni proceres, molesto
Atq; contemptu petulantis illos
Obruit vulgi, & loca vasta adire
Iussit eosdem.
Attamen rursùs miseratus idem
Pauperum sortem pater ille fidus,
Extulit quos vrserat antè multo
Tempore egestas,
Redditq; his tempora lata: pastor
Et bonus cen curat oues gregemq;
Auget, ipsorum ille domos frequenti
Prole repleuit.
Hæc pij cernent, solido fruentur
Gaudio; peruersa metu sed omnis
Turba mussabit, trepido cadetq;
Muta pudore.

Vir

Vir quidem soler memori hæc recondit
Mente, vt obseruet bonitas IEHOVAE
Quanta sit, fiat ea laude cunctis
Cognita terris.

PSALM. CVIII.
Paratum cor meum DEVS.

IAm DEVS iam psallere mi paratum est
Cor tibi, te dulcisonis & hymnis
Prosequi pro viribus, arte quantum
Et queo mente.

Si mea est qua gloria, si decusué est
Barbitus, Nablis, Cithara, Chelyq;
Te feram cœlo, pater alme, acutis
Cantibus alto.

Fulgidi pranuncia Solis antè
Quàm venit, blandæ & volucres salutent
Ore eam dulci, tibi manè pangam
Carmen amœnum.

Te feram latè in populis IEHOVAH
Laudibus, quâ panditur alma tellus
cunáq;, quâ linguis varians patetq;
Natio, psallam.

Namq; diffundit sua se per amplos
Siderum tractus, bonitas, fidesq;
Sancta transcendit superatq; cœli
Nubila regna.

Tollitor cœlis DEVS ô supremis
Altior, sit terra minor tuaq;

Gloria, des signa tui decoris
Clara per orbem.
Carcere vt gens cara tibi profundo
Libera, immunis rapida metuq;
Mortis exultet, tua te rogamus
Dextera præstet.
Tu modò fac suscipe nostra vota,
Et preces clemens DEVS aure leni
Percipe, vt nobis patrij probentur
Signa fauoris,
Quam DEVS quondam ex adyto sacrato
Edidit vocem, memori reseruo
Mente adhúc mecum. mea n amq; dulci
Pectora mulcet
Gaudio. Sic dixit enim: feraces
Partiar campos Sichimæ superbæ,
Metiar vallemq; Suchoti amœnam
Funibus æquis,
Gilead syluosa mea est. Manassa
Diuitis sub iure meo est & ora,
Ephrâim fortis mihi paret, ipse &
Inclytus heros
Iuda non princeps modò mi, sed idem
Legis est lator meus atq; Scriba,
Apta sed quâ crura lauem pedesq;
Olla Moábus.
Cælceum mittamq; in superbos
Gentis Idumæ proceres, ouansq;
Asperam bello redigam Peleseth
Sub mea iura.

Sed mihi quis ductor erit viamq;
Pandet ad celsas validas & arces?
Ad domos Edomq; aditum recludet
Quis mihi præter
Te DEVM fortem? nec enim relinques
Hostibus nos terrificis premendos;
Annè Dux noſtra, antè velut ſolebas,
Caſtra præibis?
Præſta opem nobis, DEVS o, periclis
His in extremis, vbi præter vnum
Te poteſt nemo dare ſpem ſalutis
Conſilijué.
Nam ſalus vana eſt hominum, caditq;
Conſilli quicquid ſapienter absq;
Te capit mens prouida, virq; profert
Ore diſerto.
Arma nil viresq; valent potentûm
Principum, queis fidere nemo tutò
Vir poteſt; ſoli tibi ſed IEHOVAE
Fidere tutum eſt.
Cum Deo virtutis opus patratur
Ardua nobis, penitùs ſubactos
Qui premet vindex pedibusq; noſtros
Conteret hoſtes.

PSALM. CIX.

Deus laudem meam.

O DEVS qui gloriæ es omnis autor
Vnus, vnde &, ſi qua mihi paratur,

Prouenit tantùm, veluti redundans
Fonte perenni:
Obsecro ne dissimules, nec vltrà
More vel surdi taceas, nefandâ
Dum premit me lingua protervâ fraude
Osq; malignum.
Impÿ indignè mihi moliuntur
Damna funestis odÿs acerba,
Bella non sontiq; parant furenter
Exitiosa.
Quos ego, fidum decet vt sodalem,
Candido complector amore, vursùs
Cuiq; debebant misero mihi so-
lamen amici,
Inuidi surgunt mihi, proq; factis
Non malis, grati malè, damna, probra
Ingerunt, conuitia clamq; dicunt,
Præmia amoris.
Interim sed te precibus fatigo,
Mi DEVS, te supplice voce adoro:
Assero afflictum facilis potensq;
Vindice dextrâ,
Sed meo o'ori dominetur hostis
Impius, sœuusq; premat tyrannus
Hunc, ei vastator & ille dextrâ
Angelus adstet.
Vtier quisquis volet hoc Magistro,
Improbos causamq; suam tueri,
Iudicis quando steterit seueri
Ante tribunal,

Excidat causâ, sua adaugeatq;
Crimina, irritetq; magis rogando
Iudicem, quem sic fore mitiorem
Fortè putabat.

Vita huic duret breuior dies in
Pauculos, fato properante acerbo;
Offici munus mage' fidus illo
Occupet alter.

Lugeant matremq; patremq; nati
Illius, sit vidua egens & vxor
Auxilij & solatij, agatq; vitæ
Tempora planctu.

Sit vaga atq; errans soboles auitis
Sedibus propulsa; tremente panem
Voce mendicando petatq; passim
Ostia circum.

Ille, quæ multo bona cum labore
Impius corrasit, auarus alter
Creditor poscat, capiatq; quicquid
Reculæ in arca est.

Nemo ei fautor vel amicus adsit,
Porrigat non vllus opem misello,
Illius nec prospiciat relictis,
Re, stipe, natis.

Illius mors falce domum recuruâ
Demetat totam semel, una & ætas
Deleat cum nomine gentem auitam
Funditus omnem.

Patris erratum memori IEHOVAE
Constet & matris vitium liturâ

Deleat

Deleat non vlla dies, nec vlla ob-
liuio tollat.
Semper obsistant Domino rebelles
Consilis prauis, pereant recisi
Finibus terræ, nec eorum honesta
Mentio resteat.
Immemor prorsùs miserandi vt ille
Reprobus multò fuit antè, egentem &
Corde con:rito studuit virumq;
Tradere letho:
Sic eum tandem voluit IEHOVAH
Iustus vt vindex penitùs peremptum,
Eius & nusquàm superesse toto
Nomen in orbe.
Quòd fuêre illi maledicta cordi
Semper, & quæsita nefasta tantùm
Dira, diuini maledicta reddet
Talio iuris,
Mente quòd prauâ benedicta spreuit,
Fausta curauitq; nihil profanus:
Protinùs longè benedicta ab illo &
Fausta recedent.
Ergo nunc instar maledicta vestis
Induat, quæ in viscera cuncta fundant
More aquæ se, ceu oleumq; in ima
Ossa residant.
Illius velent vt amictus omne
Corpus, & ceu cingula lata lumbos
Hæc ferant circum, soluënda nullo
Tempore nodis.

Sic & his vindex Dominus rependat,
Imprecor, quotquot maledicta acerbè
Euomunt, contra hanc animam probrosa &
Prorsùs iniqua.
Tu mihi sed magne Deus IEHOVAH
Præstò ades, seruaq; malis redemptum,
Et tuum contra male-feriatos
Assere nomen.
Quod mihi solatia grata solum
Præstat afflicto; mea quippè cura
Cor premunt intra tenerum latenter
Viscera & vrunt,
Labilis transit species vt vmbra,
Sera cum pallent tenebris crepuscla;
Et cadens propulsa perit comante
Fronde cicada;
Sic meum iam quærere pergo finem
De statu excussus miser heu priore;
Hæc fame sunt debilitata sœua
Genua labantq;.
Imò & hæc languet caro macra, succi
Quòd sit & pinguedinis omnis expers;
Corpus est exsangue, etiam atq; siccis
Ossibus aret,
Interim sed me excipiunt superbo
Improbi risu, atq; mouent cachinnos
Nare contractâ, capita & videntes
Me sua quassant.
Tu mihi adsistas Deus ô IEHOVAH
Obsecro, clemens, facilis bonusq;,

Et potens ferre auxilium misello
Atq; salutem.
Sentiant illi vt, tua dextra quantum
Auxill præstet, mihi te fauere
Et sciant, qui feceris ista solus
Cuncta potenter.
Si ferent illi maledicta acerba,
Tu mihi contra placidus repones
Fausta: si insurgent mihi, fac pudore
Afficiantur.
Dente qui rodunt miserum maligno
Me, pudor ceu laxus amictus omnes
Contegat, talos penitùs supremo à
Vertice ad imos.
Ast ego grates meritas IEHOVAE
Ore facundo, decet vt, sonabo,
Et canam in cœtu medius frequenti
Carmina laudum.
Dexter adsistens inopi patronus
Ipse enim, vitam redimit maligni
Iudicis sententiâ iniquâ, eamq;
Asserit vltor.

PSALM. CX.

Dixit Dominus Domino meo.

SI cui est cognoscere cura IOVAE,
Ad meum quondam Dominum relata
Dicta, nunc vati dociles canenti
Prabeat aures.
Nate, ait, te fer mihi consideq;
Ad latus dextrum (tibi competentem

Scilicet sedem) paria ipse mecum
Frena capessens:
Dum tibi gentem faciam rebellem
Subditam, ceu scamna pedumq; ponam
Tot tibi inuisos populos terendos.
Horrida monstra.
Ipse de celsâ Dominus Zione
Roboris mittet tibi sceptra, sæuos
Vt potens vasta dominere orbi
Victor in hostes.
Quo die duces celebrem triumphum,
Spontè se pompa tua turba quanta
Iunget, ornatuq; sacrato amicta,
Ritè litabit.
Gemmulis non arua tot ante lucem
Ros madens vestit nitidus & ornat;
Quàm tibi exsurget numerosa proles
Munere verbi.
Quæ sacri virtute renata Flatus
Crescet in longam seriem, vagarum
Gentium de finibus atq; cunctis
Confluet ad te.
Ipse se adstrinxit Dominus fidelis
Iure iurando, trahet is nec vnquàm
Pœnitens (vel more hominum) sacrati
Tædia pacti.
Dixit: Antistes mihi tu per æuum
Omne eris fidus, Semioq; more
Rex eris iustus, faciendo sacra
Votaq; misces.

Collocans dextrum Dominus tibi se
Ad latus, feruente vbi motus ira est
Comprimet sternetq; solo Tyrannos
Vindice ferro.
Gentium iudex erit ille, forti
Et manu stragem faciet cruentam,
Destruet totoq; caput superbis
Hostibus orbe,
In viâ è torrente bibet sed antè
Squalido, quàm vertice tangat alta
Sidera, & victor capiat beata
Regna triumphans.

PSALM. CXI.

Confitebor tibi Domine.

COrde non ficto referam decenter
Gratus acceptam Domino salutem;
Seu bonos inter socios seorsim in
Sede remotâ
Exigam tempus, pietate suâ
Cum viris versor grauibus, vocer seu
In pium cœtum populi colentis
Publica sacra.
Inclyta ac illustria gesta IOVAE
Sunt quidem, maioraq; honore laudis;
Illa qui quærens vigili studet co-
gnoscere curâ.
Certè huic talis veniet voluptas
Indè, vix qualem queat vlla menti
Ferre turbatæ, & recreare tristem
Res pretiosa.

Cuncta maiestas facit ordinatq;
Dia, viuaci decoranda laude,
Cuius & per secula durat aqua &
Iusta voluntas.

Summa miraclis monumenta quondam
Fecit, & nunc mira DEVS reuelat
Facta, vt agnoscant ea ritè sera
Secla nepotum,

Ceu parens mitis veniaq; largus
Prouidè caram sobolemq; curans,
His, timent qui sese, alimenta promptus
Lata ministrat.

Nempè qui cum gente sibi dicatâ
Fœderu facti memor vsq; in æuum
Permanet totum, nec in omne tempus
Indè recedet.

Per suas illustria facta vires
Is suo ostendit populo fideli,
Gentium cùm rura nouis colonis
Dedit aurita.

Illius qua dextera cunq; fecit,
Vera sunt firmataq; iure constant:
Cuncta quæ præcepit & is, fide sunt
Constabilita.

Lege qua sacrâ statuit tenenda
AEqua sunt & iusta, carentq; fraude,
Et suum aterno retinent vigorem
Tempore saluum.

Misit & vitam populo redempto
Ille, promissæ fidei tenore,

Et suum iussit fore sempiternum in
Secula fœdus.
Quippè formidabile nomen eius
Est; & augustum nimis, atq; sanctum
Omnibus iustoq; pijs honore
Ritè colendum.
Corde contrito Dominum vereri,
Primus est fons & sapientiæ origo:
Ergo qui metam studet hanc ad vnam
Tendere cursu
Totius vitæ, is sapit, atq; laudis
Integrum veræ decus assequetur;
Quod dies nunquàm ex animis vel æuo
Vlla reuellet.

PSALM. CXII.

Beatus vir qui timet Dominum.

QVot modis ô ille beatus audit?
Qui timet sanctèq; colit IEHOVAM,
In piam se sponteq; seruitutem
Dedicat illi.
Diligens legesq; sacras, decenter
Hic cupit parere, suosq; mores
Hic studet componere vita in omni,
Crimina vitans.
Illius latè dominatum in orbe
Semen extendet, generi piorum
Cuncta succedent benè, pro fauore
Numinis almi.
His domi res ampla decusq; magnum
Confluet, laus iustitiæ perennis

Hu erit, cunctosq; manens vigebit
Gloria in annos.
Grata lux rectis oritur, tenebris
Noctis in densæ; quia numen altum
His fauet, splendore suoq; eorum
Pectora lustrat.
Hanc suis lucem bonitate motus
Propriâ donat DEVS ipse amicis:
Lucis est fons namq; & origo solus
Et bonitatis.
Ille felices numeretur inter
Et bonos, promptus sua qui indigenti
Commodat, res iudicioq; recto
Temperat omnes.
Sic quidem, vt nulli noceat furente
Vi, vel occultâ & scelerata fraude;
Sed iuuat quoscunq; potest libenter
Re, stipe, verbis.
Hunc suâ de sede reuellet vnquàm
Nulla vis fatti; in memori sed aeuo
Fama erit iusti & referenda longis
Gloria seclis.
Imminet cùm plaga dolenda prauis,
Conscius recti metuit sibi nil,
Mente sed firmâ stabilis IEHOVAE
Nititur vno.
Stat metus expers benè corde fultus,
Digna pressorum videat suorum
Donec exempla, & sibi captet indè
Gaudia saluus.

Indigo pandit facilis roganti
Dexteram, dispertit opes & vltrò;
Gloriam iusti & sibi sic reseruat
Post sua fata.
Exerens vitâ caput is, sedebit
Clarus ad fastigia summa rerum;
Splendidâ lautusq; fruetur idem
Re benè partâ.
Hanc viri sortem placidam beati;
Impius limis oculis tuendo,
Anxijs & cor macerando curis,
Colliget ipsum.
Semet in bilem furiosus agram,
Tabe macrescens rabidis lacesset
Dentibus dentes, lue liuor atrâ &
Viscera carpet.
Namq; molitur sacra dum perosus
Vim, manent ipsum fera fata, & omnes
Fruge speratâ sine ei labores
Irriti abibunt.

PSALM. CXIII.

Laudate pueri Dominum.

LAudibus dignis famuli IEHOVAM
Tollite, & sanctum celebrate nomen
Illius, quod sidera tolli ad alta
Carmine fas est.
Personet nomen Domini celebre
Canticis in secula cuncta sacris,

Sic quidem ne sentiat vlla toto ob-
liuia in æuo.
Sol equos iungens peragrabit oras
Ætheris quâ, rursùs & hos resoluens
Parte quâ, sese Oceani sub vndas
Condet opacus;
Inclytum nomen Domini feratur
Laudibus per celsa poli micantis
Astra, in extremis celebretur atq;
Finibus orbis.
Celsior cunctis etenim IEHOVAH est
Gentibus, quo in limite cunq; mundi
Continent se; gloria cuius amplum ex-
cedit olympum.
Annè quem nostro similem Deorum
Vspiam nósris? DEVS ille noster
Sede sublimi posuit super se
Ætheris orbes.
Vnde respectat placidis modestus
Prouidus mentes oculis, olympi
Incolant seu regna beata, terræ
Seu loca vasta.
Sorte qui vilíq; virum potente
Dexterâ de puluere tollit, atq;
E fimo extractum, vehit ad suprema
Culmina honorum.
Inter vt primos populi locatus
Consulat rebus, iuuet & salutem
Publicam, existatq; bonis patronus
Ciuibus vltrò.

Qua domi viuens sterilis dolebat
Antè, negata ob sibi cara lecti
Pignora, hanc tandem exhilarat, cupitâ
Prole beatq;,
Gaudio matrem cumulans pudicam
Et piam, oratus precibus IEHOVAH,
Vnde vis omnis venit. Ergo sancta
Gens Haleluiah.

PSALM. CXIV.

In exitu Israel de Ægypto.

BArbarâ cum libera seruitute
Gens DEO dilecta, domus Iacobi,
Regna Mizraim tumidiq; Nili
Linqueret oras:
Tunc DEVS Iudam sibimet sacratum
Principem elegit, genus Israëlis
Omne qui dictis regeret potenti
Imperioq;.
Hoc videns æquor trepidum refugit,
Et retrò flexit caput ipse Iarden
Amne stans vndis refluo soneris
Limitis instar.
Quâ pedem gens sancta tulit, petulci
More vervecis saliere montes
Et iuga, in pratis veluti tenellus
Agnus amœnis.
Cur inassuetis mare cedis alueò
Casibus lato? tibi quidué Iarden

Accidit tàm triſte, tuos ad ortus
Vt remeares
Territus? cur ſic ſaliſtis alti
Quæſo vos montes patulique colles;
Vt ſolet latis aries in aruis
Ornus & agnus?
Terra præſentis Domini pauebat
Tota conſpectum; pia gens Iacobi
Nuncupat cui vota, Deumq; verum
Quem colit vnum.
Iuſſit is manare liquore cautes
Aſperas dulci, lapidesq; duros
Soluit in molles, validâ ſui vi
Numinis, vndas.

PSALM. CXV.

Non nobis Domine non nobis.

COElitûm rector; tibi cedat vni
Gloria, haud nobis tribuatur vlla
Laus, quibus nec competit vlla, ſummo
Numine digna.
Tu tui laudem, decus ac honorem
Nominis fac aſſere, latè in omnes
Vt fides pacti bonitasq; gentes
Se tua fundat.
Cur DEVS quæſo patiére gentes
Barbaras profundere ab ore amara
Impio verba hac: DEVS eſt eorum
Nunc vbi præſens

Rebus his duru opiferq; quis ipſos
Eruat noſtris manibus? DEVS ſed
Noſter in cœlis operis potens eſt
Conſilijq;.
Quæ colunt gentes ſimulachra, non Dij
Sunt, ſed argentum modò ſunt & aurum,
Elaborata arte hominum decenter
Perq; polita.
Os licet ſculptum referant, loquuntur
Nil tamen, cernunt oculis nihilq;;
Nec ſonus vocis patulas eorum
Permeat aures.
Narium diſcrimen habent, odoris
Senſus at nullus liquidi cauatas
Afficit nares; ſed & eſſe palmas
Nullius vſus
Iis palàm ſpectare licet pedesq;,
Quòd nihil tangant mœuentiué greſſum;
Pulmo nec captat neq; reddit auram
Gutture anhelam.
Fabricant qui talia qui colunt q;
Numina, his audentq; ſuam ſalutem
Credere & ſe, ſunt ſimilis ſuorum
Turba Deorum.
At ſuas ſtirps Iſacidûm reponat
In Deo ſpes, hunc columen ſalutis
Et ſibi ſcutum ſtatuens, ſupernum
Præſidiumq;.
Poſteri Aaronis ſtatuant ſalutis
Hunc ſuæ inuictum clypeum, patronus

Qui sibi quos fidere nouit vni
Asserit omnes.
Qui colunt vero Dominum timore
Cunq; spes fixas habeant in vno
Hoc, eis qui præsidio est, salutis
Omnis & autor.
Mente nos fert sub memori IEHOVAH,
Et fauens nobis benedicit idem
Et sacrum Aaronis genus Israëlisq;
Omne fouebit.
Quos iuuat puro Dominum timere
Corde, eis idem faciet benignè,
Siue maiores fuerint ab annis,
Seu minorennes.
Augeat donis Dominus subindè
Vos nouus, vestra faueatq; proli,
Ac huic largâ tribuat benignus
Munera dextrâ.
Namq; vos elegit habetq; caros
Cæteris præ gentibus ipse IOVAH.
Qui polum fecit spacioſum, & orbem
Condidit amplum.
Regiam celsum sibimet parauit
Is polum; natis hominum sed almam
Hanc dedit terram, tribuitq; grata
Commoda vitæ.
Non ferent te laudibus ô IEHOVAH
Quos sines succumbere fortè fatis;
Nec canent te carmine quos sepulchri
Antra silentis

Atra contexére, cauusq; saxis
Obruta est cum corpore fama quorum,
Quosq; mutauit fera mors Auernas
Anteà in vmbras.
Nos quibus sed viuida lucis aura
Carpitur clara, Dominum perenni
Laude, ceu æquum est, ferimus canentes
Vnà haleluiah.

PSALM. CXVI.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.

Diligam toto Dominum colamq;
Corde: nam pondus mea vota habere
Is sinit, lenemq; mihi querenti
Commodat aurem.
Qui meis aurem precibus benignam
Applicans audit facilis, diebus
Hunc adorabo assiduis, in omni
Tempore vitæ.
Heu, eram sæptus, miser, ager, exspes,
Fumibus mortis, stygijq; auerni
Me metus, curæq; graues ab omni
Parte premebant.
His malis dum discrucior, IEHOVAE
Et fidem & nomen precibus vocabam;
Ipse huic, inquam, pater alme quæso
Consule vitæ.
Hæc ego vix edideram, probaret
Ipsa cùm res, esse DEVM benignum
Atq; propensum in veniam, tenacem
Et simùl æqui.

Qui licet sit sapius antè nostris
Læsus erratu; Deus est manetq;
Attamen noster, patriaq; curat
Nos pietate.

Simplices rectosq; animi IEHOVAH
Suscipit, seruat, fouet ac tuetur,
Autor est & consilij auxilIq; in
Rebus egenis.

Grandi & oppressum cumulo malorum
Erigit me, aduersaq; fata pellit,
Meq; sustentat quoties iacentem
Cernit & ægrum.

Iam mea ò te collige meus, acerbum
Pone mœrorem, placidâ quiete
Perfruare, & quæ tibi dat IEHOVAH
Vtere donis.

Hanc dabas quandoq; animam rapaci
Morti, ut extraxisti iterùm cruentis
Faucibus mortis, lachrymisq; finem
Ipse dedisti.

Tu meis, gressumq; pedum meorum
Ipse firmâsti stabilem, atq; prono ab
Impetu & lapsu grauiore plantas
Continuisti.

Cursum agam vita antè meæ IEHOVAM
Limite in recto rationis, inter
Viuos & vinos ero fraudis atq;
Criminis expers.

Credidi quod corde, feram sub auras
Voce nunc, confessio ut ore fiat:

Cùm fides sit facta animo, palàm res
Asſero dictis.
Heu ego afflictus vehementer atq;
Anxius, mecum tacitè loquebar:
Falsus est quinis homo; verus atqui
Est DEVS vnus.
Qui suis pro tot meritis, benignè
Exhibet quæ mi, referam IEHOVAE?
Soſpes attollam calicem salutis.
Nomen & almum
Illius sanctumq;, piâ sonabo
Voce, & exſoluam mea vota eidem
Ipsius coram populo, libensq;
Debita reddam.
Mors pijs illata, oculis IEHOVAE
Ducitur cara & pretioſa habetur;
Cœdis autores violenta & ille
Vindicat vltor.
O ſator rerum, tuus ipse ſeruus
Sum, tua ancillæ ſoboles, tuoq;,
Liber euaſi, penitùs receſſis,
Munere, vinclis.
Efferam te laudibus ergò dignis
Mi DEVS, nomenq; tuum vocabo
Semper extremis adeò in periclis,
Rebus & arctis.
Sponte perſoluam Domino libenq;
Vota, vt in cœtu populus frequenti
Spectet, & mecum Dominum decente
Laude celebret.

Atria, inuisamq; domus IEHOVAE
Sacra, cùm me reddiderit, beatâ,
Sedibus certis, Solymorum in vrbe,
Vosq; haleluiah.

PSALM. CXVII.

Laudate Dominum omnes gentes.

VOS quibus sedem pia fata in amplo
Orbe terrarum propriam dederunt,
Ad polum ornatis Domini vsq; laudes
Tollite verbis.
Degitis quo cardine cunq; mundi
Gentium cœtus, quibus est facultas
Vocis & mentis, melicum IEHoua
Pangite carmen.
Cuius æternum bonitas fidesq;
Permanet nobis, stabilita in æuum;
Patribus promissa pijs & olim,
Vera manebunt
Omnibus seclis: Facite ergo cuncti
Quos amor tangit pietatis, vltrò
DIa vt ornetis celebrando digni
Munera verbis.
Non enim quisquàm poterit referre
Gratiam factis meritam supremo
Numini, qua quando habitâ est, referri est
Visa, haleluiah.

PSALM. CXVIII.

Confitemini Domino, quoniam.

FErte nunc grates Domino, bonorum
Omnium est fons namq; & origo solus:

Cuius

Cuius est & perpetuò benignum
Numen in omnes.
Quot quot hunc veræ statuunt salutis
Spem sibi, quem nunc genus Israëlis
Prædicet, quòd perpetuò sit almus
Atq; benignus.
Nunc pia Aaronis domus hunc benignum
Prædicet: quos cunq; timor IEHouæ
Tangit, hunc dicantq; canantq; latâ
Voce benignum.
Cùm caput duræ premerent & arctæ
Res meum, supplex Dominum vocabam,
Qui mihi respondit amicus, & so-
lamine dulci
Prouidus mentem recreauit agram:
Stricta diduxit spatijs & amplis
Is loca, inq; auram placidam patentis
Extulit orbis.
Cùm mihi adsistat Dominus, potensq;
Protegat me, cur hominum timerem
Improbos ausus? nihil hos morabor,
Saluus abibo.
Me licet contra mala multa tentent:
Ipse cùm præsens opiser IEHOVAH
Sit mihi, tutus fugiam cruentas
Hostis acerbi
Non manus tantùm: mea sed voluptas
Hæc erit iucunda, videndo pœnas
Illius dignas meritis, ocellos
Pascere damnis.

Præstat in verum Domino salutis
Spem sua certam posuisse, frustrà
Quàm viri confidere fortis atq;
Nitier armis.
Tutiùs spem ponere quisq; solo
In Deo, quàm Principibus, potentes
Sint licet, nôrit: nec enim queunt con-
ferre salutem.
Me premant ex parte licebit omni
Atq; circumstent populi feroces;
Conteram ferro tamen in IEhoua
Nomine cunctos.
Hoc latus quamuis obeant & arma
Vndiq; intentent mihi; non timebo.
Quin in vnius subigam IEHoua
Nomine cunctos.
Me caterùatim obsideant, tepente
Vere se fundunt vt apes opacâ
Nube: sic inuadere meq; tentent
Fraude maligná &
Impetu sœuo; velut ignis ardens
Sœuit in siccas sterilesq; spinas:
Acris excindam reprobos, Iehoua
Nomine fretus.
Impetit me perfidus hostis armis
Planè inermem, præcipitiq; casu
Me modò euertat studet; at ruentem
Ipse IE HOVAH
Fulcit, obuersus mihi lubricasq;
Excipit res sponte meas, iuuare

Dili-

Diligit me, promptus opem salutis
Fert & egenti.
Præstat is robur mihi, & vna spes est
Is mea certusq; salutis autor:
Ergo huic vni referam sonoro
Carmine grates.
Dextra confecit quia bella IOVAE
Fortiter victrix; pariter piorum
Plausibus latis melicos sonent ten-
toria cantus.
Præstat, ad summosq; apices honorum
Dextera euasit Domini, triumphos
Dextra agit claros Domini, subindè
Atq; reportat.
Quòd sequor bellum, gero tot secundo
Bellaq; euentu, nihil est quod arti
Arrogem aut armis tribuam, sed ipsa
Palma IEHOVAE est.
Non ego cedens tumulum subibo
Mortuus fatis; sed in hac morabor
Luce dum, viuens referam IEHOVAE
Fortia gesta.
More me exercens Dominus paterno
Corripit virgis; tamen imminenti
Me rapit letho, incolumemq; seruat
Morte redemptum.
Nunc mihi sacras aperite portas,
(Qua quidem sunt iustitiæ dicatæ)
Vt feram ingressus Domino per ipsas
Munera grata.

Nempè pro donis quibus ille egentem
(Prouisùs indignum licet) alimus ornat:
Hæc Deo est gratissima porta, iustis
Hæcq; patebit;

Vt ferant gressum per eam sacrati
Limina ad templi pia, prosequantur
Debitâ grati Dominumq; laude
Tempore iusto.

Ipse agam grates DEVS ô supreme
Nunc tibi, quòd me placidi parentis
More castigas, humilem iuuasq;
Rebus in arctis.

Stulta quem quondam improbitas fabrorum
Spreuit & tectis lapidem remouit,
Ille structuræ basis est caputq;
Totius vnus.

Non opus nostræ est rationis istud,
Numen autorem sed habet supremum;
Quod stupent humana palàm tuendo
Lumina & hærent,

En dies votis cupidus petita
Sapè, iam venit Domino fauente:
O sacra, ô iucunda dies, piorum ad
Gaudia nata,

Nulla iam luctus super est acerbi
Causa, quin læti celebremus omnes
Hunc diem festum, noua namq; nobis
Gaudia confert.

O faue nobis Domine, ac tuère
Nos pio tu numine, cuncta cedant

Prosperè vt nobis refer exitus ad
Cœpta secundos.
Omnibus certè est numeris beatus
Ille laudandus, sacro in IEhoua
Nomine aduênit modò qui, salutis
Autor & altor.
Nos quidem vobis, colitis IEhoua
Qui domum sacram, bona comprecamur
Cuncta; speramus fore nec piorum
Irrita vota.
Gratia nos ipse sua IEHOVAH
Lumine aspergit; celebremus ergò
Hunc diem cum frondis honore cinctis
Cornibus ara.
Te mihi solum Dominum fatebor,
Laude te tollam super astra olympi.
Te canam excelsum tibi seruiendo
Gratus vbiq;.
O Deo laudem memorem decusq;
Ferte gratantes: quoniam benignum
Eius est, almumq; manebit omne
Numen in æuum.

PSALM. CXIX.

Beati immaculati in viâ.

ALEPH.

AMpliùs quàm terq; quaterq; dicas
Esse felices, sine labe vita
Degitur queis, ac Domini probantur
Dogmata legis.

Ampla

Ampla eos & certa beatitudo,
Illius qui testificata seruant,
Et colunt, totoq; simùl requirunt
Corde, manebit.
Ambulant quicunq; etenim IEHOVAE
In vijs: nec turpia facta patrant,
Improbas fraudes agitant nec vnquàm
Mente dolosâ:
Arduâ seruare seueritate
Tu iubes sacra pia iussa legis
Ipse mortales, tua fiat vt diuina voluntas.
Ah, meam tali ratione vitam,
Da DEVS, moresq; meos gubernem;
Pareant vt recta tibi monenti, &
Ritè probentur.
Ad tuam cùm dirigo acuta legem
Lumina, & mandata sequor fidelis
Dia; mox turpis pudor & nefanda
Probra recedunt.
Accinam grates tibi sempiternas
Corde perfecto; doceas quòd ipse
Me tua legis pia scita, veram
Iustitiamq;,
Adferam mentem docilem, tenendi
Et tua legis cupidam sacrata
Iura, tu fidum modò ne relinquas
BETH. *Oro ministrum.*
Blanda qui formare iuuenta mores
Labis expertes poterit? perennem

Regulam vitæ tua si decentis
Dicta sequatur.
Blando & integro DEVS ô requiram
Corde te, ne quæso sinas aberrem
A tuis iussis, face sed libens vt
Illa capessam.
Blandâ ego verbum retinebo mente
Iam tuum, peccem tibi ne malignus,
Neu quid iniustè faciam, nefandi
Criminis osor.
Blanda decreta ô benedicte IOVAH
Edoce me, discipulus celebrem vt
Ipse Doctorem mihi te fidelem
Atq; probatum.
Bellè & argutè labijs referre
Iura conabor tua quæ tuliſti
Ore sacrato, memoriq; cuncta
Mente tenebo.
Blandæ opes ac diuitiæ potentes,
Haud virum sic afficiunt auarum;
Vt tuus delector ouando lætus
Ipse statutis.
Bella sunt quæcunq; iubes seuerè
Iussa seruari, meditor loquorq;
De quibus, spectare vias tuasq;
Desino nunquàm.
Bella sunt decreta tuæq; legis,
Quæ mihi pro delicijs habebo;
Hæc meo delere queant nec vlla ob-
GIMEL. liuia corde.

Grandia ô mi redde DEVS ministro
Præmia, vt vitam tibi complacentem
Transigam, seruemq; tui sacrata
Dogmata verbi.

Grandis est caligo meæ & peratra
Mentis est eu, lumina pande mentis
Tu mihi, vt legis videam tuæ mi-
racla stupenda.

Gressibus planè dubijs in orbe
Hospes hoc exsulq; vagor, repulsus
patrijs oris; tua iussa ne me
Obsecro celes.

Gestit & cunctas anima hæc in horas,
Iura dum desiderat vniceq;
Expetens optat tua nôsse, & illa
Ritè tenere

Gaudet; at cœtus maledictus omnis
Atq; detestandus erit superbus,
Qui tuis errat procùl exilitq;
Legibus æquis.

Garrula hinc absint mihi probra longè,
Et procùl despectio turpis absit;
Cùm tua euentu mihi firma reddes
Pacta secundo.

Grande me contra proceres sonant, &
Principes ipsi petùlansq; turba:
Sed tuus decreta tua ipse seruus
Hæc meditabor,

Gaudia è queis summa animo sagaci
Capto, quòd vita mihi sint regenda

Norma, consultiq; viri, salubre
DALETH. *Consiliumq.*
Debilis planè est anima hæc adhærens
Pulueri mortus, recrea iacentem
Tu tuis sermonibus & foueto
Dulcibus ægram.
Dum meas enarro vias, petita
Tu mihi responsa dabas; docere
Ergo nunc dignare rudem magister,
Iura colenda.
Da mihi constet via certa verbi,
Sancta præscribis tua quo statuta;
Vt queam doctus tua mira vbiq;
Scita referre.
Diffluit stillans mihi cor acerbo
Anxium mœrore: sed oro fultor
Ipse me firma, placidè & iacentem
Erige verbo.
Dimoue tritam mihi vanitatis
Semitam, fuco sine fac tuarum
Expetam, discam mediterq; sacra
Dogmata legum.
Diligo sectorq; viam fideli
Proditam verbo, tua iura semper
Ante conspectumq; gero & sub imo
Pectore condo.
De tuis pendet mea mens statutis
Queis fides innixa tenax adhæret;
Tu modò illorum prohibe IEHOVAH
Ne pudeat me,

Dante te ſolatia viua cordi
Iam meo triſti, tua iuſſa latus
Exequar, iuſtoq; vocationis
HE. *Munere fungar.*

Hanc viam me fac doceas IEHOVAH
Qua tua præſcripta queam tenere
Legis, obſeruare eademq; cuncto
Tempore vitæ.

Hîc rudem informes precor, vt capeſſam
Et tua nôrim monumenta legis,
Et colam ſectérq; ea ſola ſemper
Pectore toto.

Hûc bonus deflecte meosq; greſſus,
Semitam in rectam, tua ſancta monſtrat
Quam mihi lex; eſt animo meo quæ
Summa voluptas.

Hoc cor ad teſtata tua applicato
Sordidis curis vacuum, probroſis
Abſtinens lucris, alienum ab omni auaritiaq;.

Hæc procul vanis face ſint remota
Lumina oraclis; rege me foueq;
Languidum, in vitaq; vijs tuo me
Contine nutu.

Hæreant inſixa animo miniſtri
Fac tui, quæ præcipis ipſe verba
Lege, te coner Dominum vt timere
Tempore in omni.

Horreo quæcunq; pudenda probra,
Obſecro auertas procùl hinc; pellas:

Nam tuis est indicijs suauis
Gratia mista.
Haud mihi contingere quit voluptas
Maior hac, quàm viuere semper æquis
Legibus, ne iustitiæ rigore
VAV *Terrear vnquam.*
Vt potes, me serua opifex IEHOVAH,
Fœderis sanctiq; memor bonus me
Respice, es dignatus vt ipse mî pro-
mittere verbo.
Verba dicentûm nimis insolenter,
Ora vt occludam, mihi tot probrosa;
Quòd tuo à sermone fide tenaci
Pendeo totus.
Vera sunt tantùm tua verba, ab ore
Hac meo ne quæso seuerus vnquàm
Auferas; desidero namq; legum
Scita tuarum.
Vna erit summa mihi sacra cura
Lex tua, illius pia iussa seruem
Cultor vt, per secula cuncta, ab his nec
Deuius errem.
Vt gradu tuto spacioſa quaq;
Ambulem illius loca; quæro noctes
Ac dies, qua nàm ratione iussa
Hîc tua secter.
Vsibus doctus satis, ante Reges
Disseram planè intrepidè potentes,
De tuis (nec me pudeat) statutis,
Regiâ in aulâ.

Verè amo præcepta tua, hisq; solis
Gaudeo: oblectatio nulla cordi
Est meo maior, nisi vt hisce cunctis
Obsequar horis:
Vna quæ præter mihi nulla res est
Cara, quantumuis pretiosa valdè;
Ore quæ voluens loquar, apprehendamq;
Obuius vlnis.

ZAIN.

Sis memor tandem famuli fidelis
Cuî tuo est promissio facta verbo,
Quæ mihi æterna fuerit columna
Firma salutis.
Sola solamen solidæ salutis
Spes, tuo in rebus mihi dulce acerbis
Suggerit verbo, recreatq; mentem
Et fouet ægram.
Sæpiùs me turba licet superba
Rideat vexans miserum; recedam
A tuâ non lege tamen, sed illâm
Semper amabo.
Si, quibus tu iudciijs, ab orbis
Conditi antiquis repetam diebus
Vsus es, solatia viuit in ægro
Sentio corde.
Specto cùm, quàm turba maligna legem
Deserat spernendo tuam proteruè,
Occupant mentem, dolor, ira, zelus,
Horror & æstus.
Sed licet mœstus patrijs ab oris
Exsulem; cantus erit ipsa suauis

Attamen mi materies in omni
Tempore vita,
Sum tui vel nocte vigil IEHOVAH
Nominis sancti memor, vt verenda
Semper obseruem mediteq; sacra o-
racula legis.
Sic mihi thesauri erit instar atq;
Vna consolatio rebus arctis,
Quòd tuis iussis studeo sequacem
HETH. *Ducere vitam.*
Hæc erit, dixi, mea pars, IEHOVAH,
Sors tui hæredisq; manebit vna,
Edita in verbo tua quòd statuta
Singula seruem.
Hos tuos supplex precor ante vultus,
Corde de toto; miserere clemens,
Ferq; promissi memor ô salutem
Promptus amicam,
Hoc mihi est cordi studium, videre
Qua tibi vita ratio probetur:
Ad tua præcepta meosq; legis
Dirigo gressus,
Hactenùs dilatio me morata est
Nulla, dum festino tuis decenter
Obsequi iussis, aueoq; ijsdem
Moriger esse,
Hæc colo dum, turba licet maligna
Appetens prædæ; mea damna quærat;
Non tamen de lege tuâ, vel vno
Vngue recedam.

Huius &, surgens mediâ vel, ergò,
Nocte, te gratus celebrabo, seruus
Quòd pios æquo, rigidoq́, perdas
Iure malignos:
His ego qui te metuunt amicis
Vtor, his solus sociumq́, iungo
Me, quibus mandata tua exequendi
Vnica cura est.
Hanc, parens rerum, bonitate terram
Qui reples largâ; mihi des roganti,
Integrè qua lege sacrâ tenentur
THETH. *Nôsse statuta.*
Tu mihi planè immeritò IEHOVAH
Seruulo præstas bona multa: nempè
Ante iam verbis inita, vsq, rebus
Ritè probando.
Tu salutares rogo me doceto
Et bonos mores, mea queis redundet
Mens, tuis qua legibus acquiescit
Credula sacris.
Tramite errabam pietatis, antè
Frangerer quàm mole graui malorum:
Nunc tuis sed tot mala dura passus
Pareo dictis.
Tu quia es clemens, facilis, benignus,
Et bonus fonsq́, ipse benignitatis;
Edoce me scita precor benignè
Iuris & æqui.
Turpibus me criminibus superbi
Prægrauent quamuis odijsq́, iniquis;

Attamen toto tua iussa semper
Pectore seruo,
Tanquàm adeps pinguis cor eorum obesum
Delicis gliscit: tua sed voluptas
Vnica est lex sancta mihi, saginat
Qua mihi mentem.
Tristibus lætor miserisq; & arctis
Rebus: (vt quæ sunt pietatis acre
Calcar) his namq; est mihi summa plenè
Cognita legis.
Tàm tui sunt cura mihi statuta
Oris, vt non mille talenta puri
Auri & argenti mage? cara ducam,
IOD. *Aut magis optem.*
Ipse tu qui cuncta manu potente,
Atq; me de massâ opifex creasti
Terreâ, fac me documenta legum
Nôsse tuarum.
Intuebunturq; tui timentes
Me, suis læti & solidis fruentur
Gaudijs; verbo mea spes tuo quòd
Nititur vno.
Iudicl sunt iusta tui, ô IEHOVAH,
Iura (quod noui) patiorq; iustè
Hæc flagella; at tu tamen es manesq;
Arbiter æquus.
Iam satis pressum cruce, recreato
Gratiâ, sicut famulo obsequenti
Est tuo promissio certa facta,
Fraudis & expers.

Iam tua me laus bonitatis ornet
Obsecro, vt vitâ fruar hinc perenni;
Nam mihi est custodia legis vna &
Summa voluptas.
Isti at elati pereant, pudore
Obruti; qui probra mihi malignè
Tot struunt, dum iussa tua ore, totâ
Menteq; verso.
Iuncta sed sit turba mihi timentûm
Te, colens testata tua, obsequens &
Legibus sacris monitis pijsq;
Nocte dieq;.
Integram serues mihi quæso mentem,
Sit tuis addicta modò vt statutis,
Nec meos confusio fœda vultus
CAPH. *Contegat vnquàm.*
Cor mihi languens animusq; lassus
Deficit desiderio salutis;
Sed tui non spes tamen alma verbi
Deficit illa.
Cuncta vis hos destituitq; ocellos,
Quin more pertæsus anhelo, dicens:
Sit né iam solatia ferre tandem
Dulcia tempus?
Corpori robur penitusq; ademptum est
Omne, & est vter velut in camino
Hæc cutis pendens: tamen ipse sacris
Pareo iussis.
Certa fac sit summa tuo dierum
Seruulo, cùm iustus iniquo ab hoste

Asseres iudex miserum, atq; dignâ
Plectere pœnâ
Cogites talem, & reliquos superbos,
Qui mihi fodêre scrobem malignè,
Haud tua legis memores vetantis
Ladere quenquàm.
Cuncta qua tradis scio vera prorsùs
Esse præcepta: at odio insequentes
Me, palam mendacia falsa fingunt:
Adfer opem mî
Contra eos, qui pœnè graui ruinâ
Hoc malo in mundo miserè iacentem
Obruêre; & non tamen ipse sacra
Iussa reliqui.
Cor meum mitis recrea, & salutem
Redde speratam misero; vtq; legis
Fac tua sint scita mihi decentis

LAMED. *Regula vita.*

Laude solemni tua verba constant
Digna, eunt promissaq; certa in ævum
Omne, quod cœli docet ipsa lati
Ardua moles.
Laus manet durans tibi veritatis,
Dum suo stat pondere firma tellus,
Et feret pratis genus omne florum,
Gramina campis.
Legibus stant cuncta tuis caduntq;,
Ad tuum nutumq; tibi diebus
Singulis vltro famulantur, vnguem nâ
Vsq; parata.

Lex nisi præstò tua mi fuisset,
Et meam solamine recreásset
Mentem in ærumnis, penitùs perIssem
Morte peremptus.

Liber æternùm tua non relinquam
Immemor mandata, quibus salutem
Debeo vitamq; meam, laborum
Atq; leuamen.

Latus inquiro tua iussa, totus
Sum tibi addictus quia fraudis expers:
Ergo me serua, vt tibi quæ placebunt
Omnia præstem.

Legibus obseruo pia dum verendæ
Scita, me expectat scelerata turba,
Improbis ausis cupiens ademptam
Hanc mihi vitam

Longa sint rerum licet arduarum
Fata; non constant tamen absq; fine,
Omne sed durat tua lex in æuum,
MEM. Finis vt expers.

Me tua ô incendit amore quanto
Lex, voluptatem mihi quàm suáuem
Fertq; dum totus meditor vel vnam
Hanccé diebus.

Me meis hæc hostibus ipse reddit
Callidis multò sapientiorem;
Quæ comes ingis mihi adhæret, ipso
Carior auro.

Multò ego sum doctior ac magistri
Sunt mei, prudentior hisq; cunctis;

Nam mihi teſtata tua eloquendi eſt
Facta facultas.
Mente cùm fidus tua iuſſa ſeruem
Intimâ, aſtutis ſenibus vel ipſis
Cautus euado magis, hoſce vinco
Conſilijs q.
Me vijs auerto meosq; greſſus
Impijs, vitoq; malas ſecutus
Semitam verbi. trahet vndè nusquàm
Deuius error.
Me tenent arctè tua iura ſemper
Sic, vt hinc latum nequeam vel vnguem
Digredi abnormis; quia te docente
Illa capeſſo.
Mel quidem dulce eſt ſatis; at palato
Sunt meo ac ori tua dulciora
Dicta, qua dum rumino mente ſuauem
Sentio guſtum.
Me tuo doctum facis ipſe verbo
Atq; prudentem, procùl vt recedam
Oſor à fallace viâ & relinquam
NVN. *Omne iter errans.*
Noctis vt lux certa pedes tenebris
Ducit in denſis; tua ſic coruſcà
Verba, per mundi ſalebras euntem
Luce gubernant.
Non mihi iurata pijsq; votis
Ritè concepta & ſtabilita fallam;
Semper at ſeruabo tua æquitatis
Iura colenda.

Nullum ego finem video malorum
Aut modum afflictus, recrea miſellum
Tu tui verbi memor ô IEHOVAH, &
Erige preſſum.
Noſtra ſint ô grata tibi IEHOVAH
Munera, & hanc excipe ab ore noſtro
Victimam clemens, tua meq; perge
Iura docere.
Nulla me legum penitùs tuarum ob-
liuio cepit, mea ſit periclis
Vita quantumuis modò ſepta, palmis
Hancq; ego geſtem.
Non pia inſonti poſuêre prorsùs
Turba fallacem laqueum, ſed egi
A tuis errans tamen ipſe nulla
Deuia iuſſis.
Nota conteſtata tua, omne in æuum
Sunt mi ſors vnica, cara & ampla:
Nam meo præbent ea læta triſti
Gaudia cordi.
Næ tua vt nôrim teneamq; iura
Hûc cor inclino, mea mens quieſcit
His in, hæc deſiderat, his beata
SAMECH Perfrui & optat.
Sunt mihi commenta odioſa vilis
Ingeni, non æſtimo quæ vel aſſis
Vnius: ſed mente tuam fideli
Diligo legem.
Scutum es & firmum columen ſalutis
Tu mea, tutelaq; fida, verbo

In tuo constans mihi spesq; semper
Vna manebit.
Sistite hinc à me proiùl ô maligni;
Turba namq; inuisa mihi estis omnes:
Sed Dei præcepta mei decenter
Sint mihi culta.
Suffice ô vires pater alme verbo
Mi tuo, sub morte ferè iacenti,
Vt fruar vitâ & mea vota nunquàm
Irrita fiant.
Suffer & serua moribundum, & adde
Languido robur, tua quò capessam
Iussa, & oblectatio in hisce summa
Sit mihi solis.
Sub pedes, calcas meritò superbos.
Hos, vt errones, tua qui relinquunt
Iura spernentes, quibus omne pectus
Fraude redundat.
Scorias, facesq; velut sceleſtam
Abijcis turbam: tua vero amore
Prosequor testata sed ipse, totâ &
Diligo mente.
Stat mihi exhorrens cutis hæc timore
Præ tui, dum feruida flagrat ira
In malos, quos pœna manet seueri
AIN. *Iudicis omnes.*
Hoc ago, vt ius iustitiamq; semper
Integrè seruem; violenta perdat
Turba ne me, fac prohibe, ferocis
More tyranni.

Hunc tibi fidum famulum & sequacem
Asserens solare, tuere, serua;
Opprimant ne armis miserum superbi &
Prorsùs inermem.

Heu mihi iam lumina lassa languent,
Dum tua desiderio salutis
Angor, expectans tua scita verbo
Constabilita.

Huic fauens adsis famulo, benignum
Teq; prabeto pietate sueta;
Me tua decreta doceto legis
Ipse magister.

Hæreo totus tibi seruus vni,
In fidem me trado tuam, erudi me
Vt sciam testata tua, integreq;
Cuncta capessam.

Hora iam tempusq; iubet, IEHOVAH
Seriò vt turbam reprimat scelestam
Vindicans legem malè dissipatam
Viq; doloq;.

Hinc ego præcepta tua verenda
Legis amplector, velutiq; fas est
Diligo, ac auri cumulis obryzi
Præfero magnis.

Hæc colo & ceu vera sequor, nec vllæ
Præter hæc desidero, curo, quæro:
Omnis est inuisa mihi profana &
RE. *Semita fallax.*

Prorsùs admiranda colit, IEHOVAH,
Rituum mysteria mens tuorum

Noſtra, & hæc ſanctè meditando, in omni
Tempore ſeruat.
Pectus illuſtrant tua verba cœcum,
Lucis in morem. ſtupidumq́; reddunt
Acre, cœleſtis ſapientiaq́;
Munere donant.
Pando iam fauces auidas anhelans,
In modum cerua ſitientis vndas;
Sic tua deſidero nempè ſacra o-
racula legis.
Pronus oſtendas mihi quæſo vultum
Candidum, afflicti miſerere, eorum
Ceu ſoles, qui nomen amant tuum de
Pectore toto.
Paſſibus certis tua verba firment
Fac meos greſſus, ſcelerata fortè
Prauitas ne fraudé mihi doloſa
Imperet vnquàm.
Porrò & inſultus hominum ſuperbos
Siſte, & his ſerua incolumem redemptum
Me, vt tuis parére queam obſequenter
Legibus æquis.
Prome non digno faciem ſerenam
Seruulo, & vultu radiante læto
Recrea triſtem, tua me rudemq́;
Iura doceto.
Plena fuderunt oculi fluenta
Lachrymis perſæpè mei, tuarum
Viderant quod ſpreta iacere ſacra
ZADE *Dogmata legum.*

Summe

Summe es ô tu sancte IEHOVAH iustus,
(Quæ tibi laus competit vni vbiq;)
Iudicl semperq; tui manebit
Recta statera.
Sancta sunt & iusta tua æquitatis
Iura, mandatis stabilita constant
Quæ tuis, & certa fides tuorum
Eloquiorum.
Sanè ego perturbor & irâ acerba
AEstuans zeloq; pio, cateruam
Hostium quòd cerno tuas supinè
Temnere leges.
Sermo quem profers mage^ purus auro est
Ignibus cocto, tuus hunc; seruus
Diligit verè, thalamis recondens
Cordis in imis,
Sum quidem vilis fateor, vagusq;
Versor in tristi exsilio; at potentum
Nil minas curo, tua dum recordor
Iussa sacrata.
Stant vt in totum tua iura seclum
Firma; sic & iustitiæ manebit
Regula immota, & tua, veritate,
Lex stabilita.
Summus obsedit mea corda & ingens
Angor; at mandata tamen capesso
Sic tua, vt flagret mea mens amore
Illa tenendi.
Seculum testata tua in perenne
Iusta constabunt, mihi nota fiant

Hæc

Hac vt, & viuam face: namq; scire
COPH. *Hac, mihi vita est.*
Quando te compello IEHOVAH *clamans*
Corde de toto & precibus fatigo,
Obsecro exorare bonus, statuta
Vt tua sector.
Quæro te clamore petens salutem,
Quam fauens mi fer misero precanti,
Vt tuæ seruem sacra continenter
Fœdera legis;
Quum rubens aurora venit, tenebris
Scilicet noctis trepidæ fugatis,
Te voco supplex, tua dantq; verba
Spem mihi certam.
Quin vigil manè abstineo sopore,
Languidis dulci facilique membris;
Commodi vt sumam meditando verbum
Temporis horas.
Qua soles oro bonitate vocem
Excipe hanc, tristem recrea IEHOVAH
Gaudio mentem, tua iura constent
Semper vt aqua.
Qui scelus sectantur & absq; culpâ
Irruunt in me petulanter ausis
Improbis; à lege tuâ recedunt
Pessima turba.
Quippè tu præstò es miseris IEHOVAH
Erigens solamine corda dulci:
Iussa sunt cuius pia, recta, vera,
Irrita nunquàm.

Quin

Quin ego testamina sacra noui
Esse iam pridem stabilita, & absq;
Fine (ceu & principio) manere
RES. Inuiolata.
Respice afflictum placidè, & periclis
Eripe hus tantis, memoremq; legis
Mi DEVS dignêre tua paterno
More tueri.
Res tibi sit litigiosa cordi,
Assere & me libera ab hoste vindex,
Tu tuis me viuificaq; dictis,
Arbiter æquus.
Reprobris fortuna licet benigna
Adsit interdum; tamen à salute
Sunt procùl, spretisq; tuis, peribunt,
Legibus, omnes.
Robora me, redde mihiq; vitam,
Vt bonus promptusq; soles, IEHOVAH,
Et decet sicut fidei tenacem
Fraude carentis.
Rarus, heu, quisquàm numerabit hostes
Persecutores sue, petunt premuntq;
Me quot; en sacris tamen à statutis
Nullus aberro.
Rumpor ac tristi crucior dolore,
Perfidam dum spernere cerno turbam
Sacra diuina, nimis insolenter
Fœdera legis.
Respice ô clemens tua iussa amantem
Corde non ficto, mihi quaso vires

Adde, quâ præstas bonitate meq;
Assere viuum.
Recta sunt & vera, fideq; cuncta
Nescia fraudis tua dicta constant,
Et tua vis iustitia perenni
SIN. *Tempore durat.*
Sæuiens me turba licet potentum
Principum infestet sine culpâ iniquè:
Attamen mens hac venerans quiescit
In tua verba.
Sic ego sum latus ouansq; dictis
In tuis, miles spolijs vt amplis
Gestit exultans sibi gratulansq;
Hoste perempto.
Subdolos vanosq; homines perosus,
Vito & auersor: sed amore semper
Prosequor, sanctèq; colo tuarum
Dogmata legum.
Septies te quottidie celebro
Canticis laudum melicis sonandis,
Id tua quod iustitia sacrata
Iura requirunt.
Semper, vt res cunq; cadat, beatâ
Pace gaudebunt pia scita amantes
Legis, huic offendiculi, quod obstet,
Nil erit vnquàm.
Sis fauens oro mihi: nam salutem
Sperat ac poscit mea mens ab vno
Te, tuis parebit & ipsa iussis
Prompta verendis.

Scita dilexi tuâ mente totâ
Quæ quidem verâ pietate sector,
Nec meæ quicquàm est animæ gementi
Carius illis.

Seruo contestata tua atq; iussa,
Quæ cupis seruare decenter, omnes
Nam patent sortesq; meæ viaq; & Sunt tibi notæ.

THAV.

Te tuâ & coram facie, IEHOVAH
Fac meæ tristes veniant querelæ,
Tu rudem verbi doceas sacrati
Abdita sensa.

Tu mei clemens lachrymas precantis
Flebiles admitte tuas ad aures,
Meq; promissi memor ex periclis
Eripe tantis.

Tunc tuas gratâ memorabo mente,
Ore tunc pleno referamq; laudes;
Nempè tu quando tua me Magister
Iura docebis.

Tunc tui mysteria magna verbi,
Corde sincero meditabor, atq;
Eloquar lingua; quia recta & æqua
Sunt tua iussa.

Tu mihi succurre tuâ iacenti
Dexterâ, sis promptus opemq; ferre:
Namq; præ cunctis tua iussa rebus
Eligo amatis.

Tu salus es certa mihi IEHOVAH;
Ergo te desidero solum in âspris

Rebus, è scitis capio tuaq;
Gaudia legis,
Tu sine in longos pia fata seruent
Me dies, vt carmine te celebrem
Viuido, & sint auxilio vicissim
Mi tua iura.
Tali ego sum sorte miser; pererrans
Quali ouis deserta, require seruum
Sospita &, non immemorem tuarum
Obsecro, legum.

PSALM. CXX.

Graduum primus.

Ad Dominum cum tribularer.

REbus angustis, alij propinquos
Consulunt, summos alij patronos,
Atq; vicinos alij, ferant si
Fortè salutem.
Asi ego solo solidam in IEHOVAH
Spem loco, qui suscipit aure amicâ
Supplicis vocem querulam, benigni
More parentis.
Viperinis eripe me IEHOVAH
Dentibus, sæuam prohibeq; linguam,
Toxicis vitam mihi ne dolosis
Auferat omnem.
Quem miser, fructum tibi lingua confert
Impia fraudis mala machinatrix?
Prater horrendam altitonantis iram
Igne calentem:
Quæ velut contorta sagitta fortis

E manu; ceu ignea vis olente
Sœuiens in Iunipero, malignos
Dissipat omnes,
Proh dolor, vexor malè, sorte iniquâ.
Viuo dum cum gente Mesech, latrones
Inter immanes, Cedari casis sub
Tristibus exsul.

Heu diu multumq; nimis feroces
Accolens hostes anima ægra, vita
Carpitur fastidio, & alma anhelat
Commoda pacis.

Namq; me pax cara iuuat loquorq;
Sæpè de concordia, amoris igne
Mutui ardente: at fera gens minatur
Bella necemq;.

Nec potest oratio blanda quicquàm
Flectere hostiles populos; furenter
Arma quin mox corripiant manusq;
Sanguine fœdent,

PSALM. CXXI

Graduum secundus.

Leuaui oculos meos ad montes.

HOstis infestus mihi sœua bella
Dum parat, proterq; necem nefandam &
Sanguinem, haud quicquàm crepat, insolenter
Arma capessens:

Eleuo ad montes mea quaq; circum
Lumina excelsos, misero an quid indè
Auxilij forsàn veniat, quod hostis
Robora frangat.

Interim sed nulla, nisi à IEHOVAH
Spes mihi affulget solidæ salutis,
Qui poli & terræ Dominus potenter
Reprimit hostem.
Non tibi hoc custode pedes labascent
Impiorum incursibus. (vt tumultu
Cor tibi horrendo trepidet metusq́
Pectora pulset.)
Peruigil namq́ est, placidæ quietis
Nullum agens noctuué diuué tempus;
Pro tuâ qui perpetuò salute
Excubat vnus,
Ecce, non dormit bonus Israelis
Pastor, at somno vacuus, soporis
Prorsùs inuicta illecebris benigni,
Lumina seruat.
Ille defensor tibi semper adstat
Fidus ad dextrum latus, atq́ pandit
In modum vmbracli, patulas super te
Leniter alas.
De die ne feruida Solis aura
Te malè infestet, radiyué Luna
Noxij sint nocte tibi, grauetq́
Habitus artus.
Cœlitum Rex, imò pater benignus
Te, domi cùm pacis amicæ obibis
Munera, & dum bella foris capessis
Aspera, seruat.
Atq́ te certò eripiet periclis
Omnibus tandem, facietq́, secum

Vt per æterna, hac ſtatione lictâ
Secula viuas.

PSALM. CXXII.

Graduum tertius.

Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt.

Gaudio geſtire animus profuſo
Cœpit, vt vox iſta meas ad aures
Venit: auguſtæ properemus ædis
Tecta ſubire.

Læta namq; anno redeunt peracto
Tempora, vt feſtos celebremus vnà
Iam dies, ſancta Solymaq; templum
Summum adeamus.

Nunc pedes noſtri ſtatione fixá
In tuis, ô IERVSALEM, ſacratis
Atrijs gaudent; quia certa ſedes
Fœderis arcæ es.

Laus ſua eſt vrbi Solymæ, quòd ampla
Sit vijs, quod mœnibus atq; foſſis
Firma, nec non ædibus incolisq;
Conſociata:

Laus ſed eſt præclarior iſta multò,
AEde quòd ſacrâ Domini per orbem
Sola terrarum celebris ſit atq;
Inclyta, totum.

Singulis, in qua ſolita eſt ter, annis
Stirps Iacobi ad ſacra obeunda ſponte
Conuenire, vt iuſſerat ipſe ſancto
Fœdere IOVAH.

Quin Tribus illic Domini frequentes,
Debitâ cultum pietate ſacrum,
Vocibus iunctis manibuſq́; plenis
Acriter vrgent.

Iudicî eſt iſtic ſolium ſupremi,
Vnde iura vrbes reliquæ capeſſunt,
Dauidis proliq́; parata ibidem eſt,
Regia ſedes.

O boni ciues pia vota cuncti
Pro ſalute almæ ingeminate matris
Vrbium, quò ſit ſua cuiq́; in illâ
Functio fœlix.

Gaudeant ſemper tua tecta amicæ
Fructibus pacis, ſit & in palatiis
Fauſtitas firmata tuis, nec vnquàm
Inde recedat.

Quò meis conſortibus & propinquis
Stirpis Leſſæ, benè cuncta cedant;
Incola vt te pax bona amabiliſq́;
Proſperet opto.

Te IEHOVAH auguſta domus celebrem
Reddit, & ſanctis populis amicam;
Vnde ego lætus tibi fauſta in omne
Imprecor æuum.

PSALM. CXXIII.

Graduum quartus.

Ad te leuaui oculos meos.

SVmme Rex mitiſq́; pater beatas
Incolens oras, ſuper alta cœli

Culmina, atq; hinc lumine perspicaci
Omnia lustrans.
Tu mea firma anchora spesq; vitæ es
Vnus; ergo ad te lachrymis madentes
Erigo plorans oculos grauatus,
Sorte maligna.
Ecce, eeu serui famulæq; heriles
Ad manus spectant miseri, subindè
Certam opem certò sibi pollicentes
Rebus in arctis:
Ad DEVM sic lumina nostra tendunt,
Quem patrem nostrum ac Dominum fatemur;
Quem fatigamus prece, donec adsit
Propitiator.
Parce delictis DEVS alme nostris,
Parce iam tandem famulis precamur.
Impius quos ludificat superbè
Et premit hostis.
Tadet heu vitæ: nec enim tumentûm
Diuitis, dehinc opprobria atq; risus
Est potis mens ferre, adeò vsq; fastus
Opprimit agram.

PSALM. CXXIV.

Graduum Quintus

Nisi quia Dominus.

IPse ni nobis Dominus benigno
Numine in rebus miseris fuisset
Præsto, nunc dicat genus Israelis
Turba misella.

Nos Dei tutela nisi fauentis
Sospites fecisset & alleuâsset,
Quando gens ceruicibus imminebat
Barbara nostris.
Fortè nos viuos, rabidi leonis
Instar absorpsisset hiante fauce,
Feruidi, quando stimulabat ardens
Ira, furoris.
Nos procella ingens grauium obruisset
Cladium ceu turgidus imbre torrens;
Imò aqua nostras animas profundæ
Iam penetrassent.
Gurgitis prærupti animas repentè
Impetus, transisset ad vsq; nostras:
Perdidisset nosq; vorago vasta
Funditùs omnes.
Gloria & laus sit tibi sempiterna
Cœlitum supreme parens, cruentis
Qui vetas nos dentibus esse prædam.
Hostis acerbi.
Passer vt vinclis tener implicatus
Auolat coram aucupe fortè ruptis
Retibus: sic cassibus improborum e-
uasimus ipsi.
Posthmodùm nostris timor hinc facessat
Finibus; nobis quia spes salutis
In DEO factore poli soliq;
Certa repósta est.

PSALM. CXXV.

Graduum sextus.

Qui confidunt in Domino.

Sancta ceu immobilis arx Zionis
Permanet semper; quòd in angulari
Nixa sit saxo sedeatq; in altâ
Rupe locata;
Sic suam qui collocat in IEHOVAH
Spem, loco nunquàm poterit moueri;
Fractus illabatur vt orbis, vno
Fulminis ictu.
Sicut est gentis Solymeæ, ab omni
Ciuitas amplissima cincta parte,
Montium vallo incolumem tuente,
Cùm furit hostis:
Cœlitum rector bonus vndequaq;
Sic suum cingit populum, atq; dextri
Numinis sub præsidio, per omne
Protegit æuum:
Amplius non ergo DEVS morari
Sub iugo iustos sinet impiorum,
Auxilii nullo viduos relinquens,
Tempore tales.
Et, pij ne fortè mala intuentes
Facta, quæ patrare solent proterui
Dexteram extendant etiam ad maligna
Facta, vetabit.
O parens rerum bonitate cuncta
Qui bonus reples, fac vt affluenter

Manet ad rectos, tua, simplices q̃,
Gratia, corde.
At, viâ vera pietatis omnes,
Quos aberrantes facit, improborum
Consilia semper male-suada prauis
Perdita turba,
Hîc precor quò sit malè continenter
Inter iniustos pariter relatus,
Puniatq̃ illos Dominus seuerè
Vindice dextrâ.
Israël sed perpetuâ fruatur
Pace, pax vrbem Solymæ beata
Incolat, pax exhilaret colonos
Illius omnes.

PSALM. CXXVI.

Graduum septimus.

In conuertendo Dominus.

IVssit vt captam Dominus Zionem,
Sospitem in natale solum redire;
(Quod suâ dulcedine cuncta longè
Dulcia vincit.)
Somnia est visus sibi quisq̃ vana
Cernere, & non gaudia vera menti
Obtigisse, imò attoniti vel omnes
Obstupuêre.
Oratùm miro lachrymosa risu
Nostra fluxerunt, cecinitq̃ quisq̃
Latus, intentâ celebrando sanctum
Voce IEHOVAM.

Nec minùs gens extera Barbarorum
Tùm ſtetit vultu attonito, ſupremi
Ad patriæ miracla ſtupenda Diuûm,
Talia dicens:
Cœlitum Rex maximus, ecce quanta
Signa declarat bonitatis, erga
Tàm ſibi carum populum, vt ſaluti
Conſulat huius.
Et quidem nobis Dominus fauoris
Tot ſui oſtendit manifeſta ſigna;
Gaudij vt nobis meritò perennis
Sint ea, cauſa.
Porrò nunc ſupreme parens relaxa
Vincla captorum, redeant vt omnes
Patriæ in fines medios amatæ,
Agmine grandi.
Haud ſecùs quàm flumina vaſta ripis
Tàm diu indignata ſuis teneri,
Imbribus tandem vehementis Auſtri
Libera currunt.
Triſtis vt flendo ſua mandat aruo
Arido, ad meſſem dubiam colonus
Semina, & fruges tamen indè largas
Latior aufert;
Septies denos ita nos per annos
Exilij flentes mala cuncta paſſi, &
Patriæ tandem Laribus reducti
Gaudio ouamus.
Secta & aſportans ſua quisq; farra
Colligata adfert hilaris maniplis,

Te Deum ſemper patrium perenni
Laude canendo.

PSALM. CXXVII.

Graduum octauus.

Niſi Dominus ædificauerit.

NI DEVS conatibus ipſe noſtris
Adſit adiutor, domus atq; coniunx.
Liberiq; & res & agri parantur
Omnia fruſtrà.
Totius nî conditor orbis vrbem
Seruet, incaſſum excubat vnde-quaq;
Peruigil qui mœnia nocte cuſtos
Celſa tuetur.
Nil iuuat, ſurgendo vel ante lucem
Integras vel peruigilando noctes
Anxium, duro ſibimet labore
Quærere victum.
Sed Deo ſi cura relicta ſoli
Sit, velut per ſomnia blanda cunctis
Is ſuis donat placitura amicis,
Commoda vitæ.
Coniugem fœtam facit ipſe prole
Liberûm dulci, beat & parentem
Filijs, qui moribus expoliti
Robore pollent.
Qui graui dextrâ iaculis ſuperbi
Impetus hoſtis validè propellant,
O beatum qui phareтram ſagittis
Talibus implet.

His enim fretus, nihil extimescet
Fortè si cogatur inire lites;
Iudicem quanquàm improbus actor vrget
Antè tribunal.

PSALM. CXXVIII.

Graduum nonus.

Beati omnes qui timent Dominum.

O Magis quàm terq; quaterq; felix,
Quem timor peccare vetat IEHOVAE;
Illius quicunq; vias frequentat
Tramite recto.

Prosperè in rebus tibi cuncta cedent
Omnibus, quascunq; vocationis
Munus imponit, prohibens labori
Parcere iusto.

Hinc tibi tellus bona fertilisq;,
Quæ sinu accepit benè culta laxo
Semina, ex votis, cumulata reddet
Fœnore multo.

Vt ferax ramisq; comisq; vitis
Non domum exornat modò; sed racemis
Turgidis ditat, benè vinitoris
Culta labore:

Sic torum coniunx decorat iugale
Casta, quæ fœcunda simùl maritum
Plurimâ lætum facit, atq; frugi
Prole beatum.

Ceu solo plantaria pulchra oliuæ
Fertili crescunt: sobolis tenellæ

Sic

Sic tuam circum numerosa mensam
Copia ludet,
Ecce, vir quicunq; DEVM timebit,
Talibus donis hilarus fruetur;
Vsq; dum vita placidè seniles
Transigat annos.
Quin, bonis vltrà Dominus beabit
Cœteris ex arce Zionis altâ
Te, sacra vt semper Solyma expetita
Commoda captes,
Et tui multos similes Nepotes
Latior cernas; patrijsq; summa
Faustitas regnabit in omne latè
Finibus auum.

PSALM. CXXIX.

Graduum decimus.

Sæpè expugnauerunt me.

SÆpè me afflixit furor impiorum,
Ciuitas nunc sancta querendo dicat;
Sæpius me primâ ab origine vsq;
Gens fera pressit.
Sed tamen vis nulla, dolus nec vllus
Hostium, mi præualuisse quiuit
Hactenùs, quamuis fuerit malorum
Magna caterua.
Heu mihi quanta imposuêre iniquè
Pondera hostiles populi labores
Quotq; quin longis mea terga sulcis
Obruta arârunt,

Ceu solent terram agricolæ; famęq;
Haud leui me, mille molestijsq;
Cœteris pressêre, nimis furor dum
Feruidus arsit.

Ipse sed iustiùs Dominus, benigno
Intuens vultu miserè grauatum,
Discidit nunc impia vincla tandem
Vindice dextrâ,

Retrò eant hostes properè, obruatq;
Hos pudor turpis, pereantq; cuncti
Qui malè infestant odio, supremi
Numinis arcem.

Herba ceu summis citò nata tectis
Roscido non humidior liquore,
Antequàm messum manus propinquet,
Languida marcet.

Quâ nec implebit resecans perusius
Dexteram messor, neq; falce secta
Colligens, densis gremium maniplis
Inde grauabit.

Fausta nec messi poterit viator
Huic suis votis bene comprecari,
Dum videt vix suppeditari in anni
Tempora fruges.

Hac, precor, sint conditione cuncti
Turgidi fastu, ac odio insolenti
Quos premit sors aspera, persequentes,
Fac DEVS vltor.

PSALM. CXXX.

Gra-

Graduum vndecimus.
Pœnitentialium Sextus.

De Profundis clamaui.

CVm meum sentina caput malorum
Obruat mergatq; profunda curis;
Supplicis ne quæso IEHOVAH tristem
Reflue vocem.
Sed meis clemens placidam querelæ
Applicans aurem, gemitus ab imo
Corde quos fundo, sine grande pondus,
Obsecro, habere.
Debitis pœnis scelerata facta
Si velis tu plectere cuncta vindex
Tetricus, cui non fuerit luenda
Pœna cruenta?
Sed pater mitissime, tanta semper
Lenitas in nos tua manat, omni
Iure vt à nobis timeare sancte
Pectore toto.
Hinc tui me polliciti IEHOVAH
Recreat spes certa, animumq; viuo
Erigit solamine, adhuc malorum
Mole grauatum.
Ceu vigil qui mœnia nocte opacâ
Vrbis ambiuit, roseî diei
Tempus obseruans, veniente gaudet
Lumine solis:
Sic Deum desiderat omnibusq;
Expetit votis mea mens morantem,

Dum mihi tandem facilis salutem
Præstet amicam.
Isaci proles pia, spem reponat
In suo totam Domino: benignus
Est enim, assuetâ & sibi lenitate
Parcere largus.
Ipse dilectum asseret Israëlem,
Hostibus pressum grauiter superbis
Et reum culpæ scelerisq; noxâ
Eximet omni.

PSALM. CXXXI.

Graduum duodecimus.

Domine non est exaltatum.

TE DEVS, qui cuncta vides probasq;
Abdita in rerum latebris profundis,
Teste, confirmo mihi displicere
Corda superba.
Vnde nec vel Regia me potestas
Impulit, maiora meis vt vnquàm
Viribus sim despiciendo parua,
Ausus adire.
Vt recens à lacte remotus infans
Blandula matris, lachrymas subindè
Fundit, ac suspiria multa corde
Ducit ab imo:
Ipse, sic ad te, pater alme, tristi
Anxiè suspiro animâ, fideq;
A tuâ dependeo caritate
Indubitatâ.

Ergo

Ergo vos de ſtirpe ſati Iſraëlis,
Ponite in ſolo Domino ſalutis
Spem, pios qui tempore neſcit vllo
Deſeruiſſe.

PSALM. CXXXII.

Graduum decimus tertius.

Memento Domine Dauidis.

COElitum Rex ſumme, memor paternâ
Eſto Dauidis pietate, ſanctâ
Qui tuâ pro religione paſſus
Eſt mala cuncta.
Ille iurauit tibi, magne IOVAH
Genitis Ebræa DEVS, ille vota
Fecit Heroi Iſacida celebris.
Talia dicens:
Ad mea non cara domus adibo
Limina excelſa, mea nec quieto
Membra declinabo toro labore
Feſſa diurno.
Nec meis cepiſſe oculis iuuabit
Lectulo molli placidum ſoporem;
Quin nec obrepens mea claudet vnquàm
Lumina ſomnus:
Antequàm templo Domini paratus
Sit locus, ſacriſq; dicata ſedes
Atrijs, fortiq; tuo, Iacobe
Area digna.
Patrijs audiuimus ante in oris
De loco, qui pòſt tamen eſt repertus,

Sylua quâ se porrigit ad beatos
Ardua campos.
Cultui vero statuit perennem
Hic DEVS sedem: Ergo alacres sacratam
Illius nunc religiosè ad aedem
Ibimus vnà.
Numen ipsius venerabile omnes,
Vultibus pronis simùl inuocantes,
Mentibus puris manibusq; plenis
Sacra obeundo.
O parens rerum, placidus piorum
Vota iam fac suscipe, surge, latusq;
Ad tuam conscendere mansionem
Perge quietam.
Arca & aterni nequeat vagari
Amplius pacti; stabili quiescat
Sed loco, vt castâ tueantur ipsam
Mente Leuitæ.
Sintq; quī te cunq; colunt beatâ
Sorte donati & sua sint cuiq;
Gaudia, in sanctoq; tuo resultent
Nomine ouantes.
Sceptra nec permitte rogo esse adempta
Dauidis de stirpe, cui regendi
Iam tibi dudùm populi dicati
Frena dedisti.
Dauidi quondam Dominus fideli
Voce iurauit (neq; peierare
Is potest) hæc seruulo ab ore fido
Verba locutus:

E tua est qua nata propago stirpe,
In tuo post te solio sedebit
Sola, gestabitq; per omne tempus
Regia sceptra.
Pacta seruârint mea si Nepotes,
Quos tua stirpis series relinquet
Longa, si sanctè steterint auitis
Legibus omnes.
Tunc tui nati paritérq; proles
Inde prognata, solio paterno
Ritè regnabunt sine finc amicâ
Pace beati.
Nam locis arcem Dominus Zionis
Pratulit cunctis, habitaculumq;
Hanc sibi elegit placidum, perenni
Tempore durans.
Hic preces castas ego supplicantûm
Audiam, ac oracula sancta pandam
Hîc pia turba, hinc procùl exulabit
Horrida egestas.
Faxo vt indulgentia grata cœli
Hic alat fruges, pariterq; fiant
Seduli largè saturi expetito
Pane coloni.
Quin salute ornabo sacros ministros
Templa qui castâ pietate semper
Sic colant, vt latitiâ erigantur
Pectora mœsta.
Dauidis de semine germina illic
Multa succrescent, populos qua in omnes

Postmodùm latè sua quaq; circum
Brachia fundent.
Hic lucerna ardens reparata Christo
Est meo; solis radiantis instar.
Largiter terras sua quæ per omnes
Lumina spargat.
Hostium illius pudor haud honestus
Obruet vultus, maculaq; fœdâ
Turpis heu infamia tinget omnes
Impiè agentes.
Ipsa sed IESSAE A propago florens
Crine gestabit Diadema sacro
Regum, ac intermina ad vsq; mittet
Secula famam.

PSALM. CXXXIII.

Graduum decimus quartus.

Ecce quàm bonum.

ECce quàm concordia rara fratrum
Cara; quanta adfert bona, quanta secum
Gaudia apportat? nihil est quod huius,
Munera adæquet.
Balsami vt suauem pretiosi odorem
Spirat, effusus liquor Aaronis
In caput barbamq; sinumq;, stillans
Vestis ad oras;
Decidens ceu Hermonis humor alti
Gemmulis pulchris hilarat tenella
Gramina, & fœcunda facit, sub ipso
Monte Zionis:

Sic domum quam pax colit alma seruat
Et bonis complet Dominus benignâ
Dexterâ cunctus, habitatq; præsens
Semper in illa.

Namq; vbi pax candida floret atq;
Caritas degit simùl, hic & ipse
Degit, & largè tribuit IEHOVAH
Commoda vitæ.

PSALM. CXXXIV.

Graduum decimus quintus.

Ecce nunc benedicite Domino.

O Quibus custodia nocte totâ
AEdis est commissa sacræ, ministri,
Iam DEO dum nox fauet annuitq;
Dicite laudes.

Supplici cum voce manus supinas
Tendite ad cœlum, precibusq; fusis
Mente de purâ Dominum inuocate
Corde fideli.

Vos, precor, vultu placido Zionis
Arce de celsâ, aspiciat beetq;
Conditor cœliq; soliq; IOVAH
Trinus & vnus.

PSALM. CXXXV.

Laudate nomen Domini.

FIA cultores Domini fideles
Laudibus nomen Domini celebre

Red-

Reddite, & numen vehite ad suprema
Sidera verbis
Incolæ ô adis Domini sacrata,
In Dei nostri simùl excubantes
Atrijs, vos psallite iam IEHOVAE
Dulcibus hymnis.
Est enim clemens Dominus benignusq;
Illius nomen q; suaue semper
Constat: hoc ergo super astra celsa
Tollite nomen.
Quippè IACOBVM sibi IOVAH legit,
Et sui sortem velut Israëlis
Posteros caram sibimet peculi
Ipse vocauit.
Indicis deprehendi etenim ipse certus
Numen immensum Domini esse nostri;
Qui Deos sub se premit vnus omnes
Altior illis.
Nempè qui cœloq; præest soloq;
Rector. huic altum mare & ima abyssus
Paret, ad cuius simùl ista nutum
Stantq; caduntq;.
Qui ciet de partibus vsq; terra
Infimis celsas volucresq; nubes,
Detonans cœlo pluuijs coruſca
Fulgura & aptat.
Qui suis cellis rapidos reductis
Elicit ventos, iubet vtq; perflent
AEquor immensum celeriq; latam
Turbine terram.

Cuius AEgyptusq; manum superba
Vindicem sensit, pariter peremptis
Fœtibus primis hominum & ferarum
Nocte vel vnâ.
Ediditq; is prodigiosa signa
Tot tuis AEgypte ferax in oris;
Terruit Regem, quibus & ministros
Illius omnes.
Plurimas gentesq; subegit idem,
Atq; cœcidit validâ tyrannos
Dexterâ toruos facie feroci;
Nempè Seonem
Ducem Amorrhæum, reliquos truces &
Impios Reges, ditione magnâ,
Qualis Og Basana superbus olim
Arua tenebat.
Regna quaq; olim Cananæa proles
Impia effrenusq; subegit armis;
Quaq; possedit violenta terras
Morte rapaci:
Tradidit genti Isacidûm fideli
Et sibi cara, voluitq; diues
Prædium his solis patrimoniumq;
Esset vt amplum.
Te tuum nomenq; canent IEHOVAH,
Secla, nec nostris animis tua vnquàm
Eximent obliuia tempore vllo
Splendida facta.
Nam suum vindex populum IEHOVAH
Asseret, fidis famulisq; parcet;

Sic bonus ſummæum moderatur æqui
Ius ratione,
Quæ ſibi gentes ſimulachra fingunt
Auro & argento, ſine mente, conſtant
Fuſa, ſunt tantumq; hominis parata
Arte manuq;.
Os eis eſt vocis inane viuæ,
Sunt eis & lumina caſſa viſu,
Auribus proſtant, ſed habent carentes
Senſibus aures.
Horum & autores ſimili tenentur
Lege cultores pariterq;, inanes
Vocis auditusq;, oculorum & orbi
Naris & vſu.
Tu ſed à magno genus Iſraële
Ortum, & Aaronis domus ó, IEHOVAE
Debitas exſoluite voce, totâ
Menteq; grates.
Vos ſati de ſanguine Leui, & omnes
Qui piè & ſanctè colitis IEHOVAM,
Soluite in præconia digna linguas
Numine Dlo.
Incolit qui tecta Zionis almæ
IOVAH, ſacratum Solymaq; templum;
Laudis extollatur honore in æuum
Omne. Haleluiah.

PSALM. CXXXVI.

Confiteminì Domino quoniam bon.

O Pij sanctis celebrate IOVAM
Laudibus fassi facilem & benignum;
Cuius aternum bonitas paterna
Durat in auum.

Vnus & verus DEVS est Deorum
Ille, quem sancti venerentur omnes:
Cuius aternum bonitas paterna
Durat in auum.

Hunc, cui parent Domini potentes
Cateri in terris, celebrate IOVAM;
Cuius aternum bonitas paterna
Durat in auum.

Maxima & miranda facit stupendaq;
Vnus is, captum rationis extra;
Cuius aternum bonitas paterna
Durat in auum.

Arte qui solers operosa olympum
Arduum ac astris nitidum parauit;
Cuius aternum bonitas paterna
Durat in auum.

Quiq; secreuit liquidis ab vndis
Fertilis terra sterilusq; molem;
Cuius aternum bonitas paterna
Durat in auum.

Lumine ingenti geminoq; Zonas
Bis duas lustrat patulum per orbem;
Cuius aternum bonitas paterna
Durat in auum.

Qui dedit partes gerere aurea frena
Candida Soli roseo dici;

Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Ille præfecit tenebris opacæ
Noctis, & Lunam ignicomasq́ stellas;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Sustulit qui pignora prima Phari,
Imò & AEgypti genus omne primum;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Idem & Israélem medijs recepit
Hostibus dextrâ incolumem potente;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Brachium extendens fera vincla vasto
Soluit obstructosq́ aditus hiatu;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Quin maris rubri rapidas & vndas
Ille diuisit geminâ vt columnâ;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Et viam strauit populo Israeli
Huncq́ traiecit medias per vndas,
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Sed mari immersit Pharâona, currus
Illiusq́ & belligeras Phalanges;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Qui sui rexit populi cateruam,
Perq; deduxit malè culta tesqua;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Qui feros Reges etiam cruentâ
Cæde percussit proceresq; regni;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Idem & occidit validos tyrannos
Et truces, letho domuitq; acerbo;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Nempè Amorrhæorum animo ferocem
Principem ac armis validum Seona;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Basanis Regem numerosæ & Ogum
Viribus fisum nimis insolenter;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Prædia his erepta suaq; genti
Ipse donauit, benè culta, gratis;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Iure & hæredum Isacidis tenenda
Hostica addixit tribuitq; rura;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Namq; cùm rebus premeremur arctis
Fauit is nobis memor usq; nostri;

Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

A feris captos toties redemit
Hostibus nos in medijs periclis;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

Almus is victu genus omne curans
Pabula & panem pariter ministrat;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

O cohors ergo numerosa grates
Redde cœlorum Domino Deoq;
Cuius æternum bonitas paterna
Durat in æuum.

PSALM. CXXXVII.
Super flumina Babylonis.

FLeuimus propter Babylonis alta
Flumina hærentes, procùl hinc abacti
Patrijs oris, memores Zionis
Attamen almæ

Nablia è ramis salicum canoræ
Antè, pendebant sine voce muta
Tunc, lyras vesca tacitasq; frondes
Sustinuêre.

Interim qui nos tenuêre captos
Improbè insultando probris, suâues
In malis nostris numeros petebant
Carminis, olim

Quale psallentes fidibus sonoris.
Tunc canebamus steterat Zionis
Quando adhùc res integra Barbarisq;
Inuidiosa.
Sicciné insultet Babylon superba
Patriâ exactis, miseris & ægris?
Hîc quasi solemne iuuet IEHOVAE
Pangere carmen.
Si tui oblitus fuero vel vnquàm
Ciuitas ô sancta Dei, canora
Nec lyra pulset mea dextra chordas
Dulcisonantes.
Sit mihi siccis mea lingua adhærens
Faucibus, ni nocte memor dieq;
Sim tui, & ni dent Solymæ mihi primordia gaudi.
Altâ, Idumææ scelus, ô IEHOVAH
Vltor, infandum, facito reponas
Mente, quæ verbis animum proteruis
Addidit hosti.
Impio, clamans: cape tela, & ignem,
Infer in tectis, inhia rapinæ,
Omnia & vastans rue, verte, perde
Funditùs vrbem.
Atqui erit tempus, Babylon vicissim
Debitas cùm tu quoq; iustâ in irâ
Vindicis iusti, dabis ipsa pœnas
Extero ab hoste
Nempè circumsepta, subacta, capta,
Qui tuis reddet tibi digna factis

Præmia, hunc pòst læta suisq; factis
Fata sequantur.
Imò fortunatus habetor ille,
Qui tuam tollet sobolem tenellam
E cunis raptor gremioq; matrum, il-
lidet & âspris
Cautibus frangens caput, atq; saxa
Dura consperget tenero cerebro;
Nempè dum tristes Solymæ subactæ vl-
ciscitur umbras.

PSALM. CXXXVIII.
Confitebor tibi Domine.

COrde te toto Dominum fatebor
Et tibi grates mediâ in coronâ
Principum reddam, tua facta cantans
Dulcibus hymnis.
AEde te in sacraq; vocabo supplex
Atq; diuinum celebrabo nomen,
Prædicans illustre fide tenaci
Et bonitate.
Splendidum tu magnificum & celebre
Ipse feciſti tibi nomen, omni
Quod foues, vnius, in orbe, solo
Munere verbi.
Quo die te cunq; vocabo, vocem
Percipe orantis facili & benignâ
Aure, & huic magnas animæ pusillæ
Addito vires.

Quâ patet circumflua cunq; ponto
Terra, te Reges Dominum fatentes
Laudibus tollent meritis, sequatur
Quòd tua verba.
Famâ vt accepêre, fides; tuumq;
Efferent morem super astra cantu:
Gloriam namq; attonita IEHOVAE
Mente stupescunt.
Arduus quamuis sedeat IEHOVAH
Sede sublimi: tamen ima terræ
Respicit, cernitq; procùl notatq;
Mente superbos.
Anxius versèr licet in periclis
Iam diu vita medijs, relictum
Tu tamen me suscipis atq; vires
Suggeris ægro.
Quin manu extensâ reprimis meorum
Hostium nasum & rabidi furoris
Vim; tua virtute sed ipse dextræ
Tutus abibo.
Si quid est fortasse super, saluti
Quod meæ desit, Dominus (perenne
Cuius est durans bonitas fidesq;)
Addet id vltrò:
Est quidem primus solidè locatus
Iam gradus diuini operis; relinque
Eia ne cœptum rude, sed tuere &
Perfice totum.

PSALM. CXXXIX.

Domine probasti me.

COElitum rector bone, nulla vita
Te latent momenta mea; sed intùs
Et foris certò tibi sum probeq;
Cognitus vni.

Seu domi solus sedeam quiescens,
Seu agam quid fortè foris negocI.
Cogitem seu mente quid, ipse nosti
Eminùs omne.

Qua mihi sit semita, quod cubile
Aspicis præsens, latus vsq; stipas
Tu meum, vitæ studia atq; mores
Omnia lustrans.

Si quid occepit mea lingua dictis
Eloqui, non vocula vel minuta
Te fugit, fibras siquidem gubernas
Illius omnes.

Antè tu retroq; mei parès sti
Corporis partes positas, regusq;
Hac manu membrisq; suum vigorem
Indis alacrem.

Qua quidem res cognitioq; mira est
Captum & humana rationis omnem
Vincit, arcana est, nimiumq; sensus
Effugit alta.

Ergò quò me subripiam, à tuiq;
Spiritus vi confugiam sagaci?
Quas petam à vultuué tuo latebras
Me quibus abdam?

Cogitem si scandere fortè cœli
Culmina, hæc sedes tua sunt, supremus
Ac thronus, præsens vbi ades regisq;
Numine dio.
Si sepulchrorum ad cava mittar antra,
Ecce ades præsens ibi, nec vel vmbris
Dissitus cœcis abes, imò vbiq;
Cerneris idem.
Si suas aurora mihi coruscans
Det leues alas, habitemq; ponti in
Vltimis oris, tua me manus de-
prehendet & illic
Obuia, exceptum & tua me reducet
E fugâ, raptumq; soror tenebit
Illius, de littore retrahetq;
Protinus imò.
Sin apud me dixero: nox tenebræ
Occulat me, lux mihi per tenebras
Exhibet se splendida, noctis atræ
Pellit & vmbras.
Namq; caligo penitùs tibi nil
Contegit, cui nox velut ipsa lux est,
Et tibi splendent tenebræ dies vt
Candida lucet.
Quippè non renes modò, membra & artus
Sed meos omnes tibi iure summo
Vendicas, meq; in genitricis aluo
Conditum amictu
Ipse cinxisti tenero: ergo grates
Debitor reddo tibi, fictus abs te

Arte quòd consto penitùs stupendâ :
Quod benè nouit.

Mens mea admirans tua mira texta,
Quæ quidem se explere nequit tuendo;
Sed supra sensus hominum repósta
Esse fatetur,

Corporis pars nulla mei minuta
Carnis aut ossis potuit latere
Te;rudis cùm massa forem calente
Matris in aluo.

Luminis vidisti acie me acuti,
Præscius quæ membra mihi futura
Et forent nósti,numerans notasti
Corporis omnes

Et tuis artus tabulis, futuram
Tu meæ vitæ seriem dierum
Scieras,harum licet vlla nondum
Tempore adesset.

Sed DEVS quàm me iuuat hæc moueq;
Consili istius ratio stupendi;
Quanta gestorum mihi vah tuorum
Cognita summa est.

Quæ quidem vincunt numero minutas,
Ipse si tentem recitare, arenas;
Peruigil quamuis morer vsq; in illis
Enumerandis.

O parens rerum afficiesné tandem
Impios letho! procùl vt facessant,
Me relicto sanguipetæ,tuiq;
Nominis hostes.

Qui ſolent opprobria dira de te
Spargere, & peruerſa loqui proteruo
Ore, te contra tumidi & ſuperba in-
ſurgere mente,
Numinis nonné tpſe tui IEHOVAH
Odi ego oſores? habeo tuosné
Pro meis hoſtes? odio profectò
Proſequor illos;
Nec tuis ex hoſtibus vlli amicus
Sum, mihi nec fœdere iunctus vllus
Eſt; & hinc mi tot furias eorum
Contraho acerbas.
Tu DEVS me diſpice, cordis imi
Et mei explora latebras, reuolue
Intimos mentisq́, ſinus, latentesq́,
Excute venes:
Praua ſi & forsàn fuero ſecutus
A via veræ pietatis errans;
Ipſe me ad normam reuoca, vt perenni
Tempore viuam.

PSALM. CXL.

Eripe me Domine á malo homine.

LIbera me quaſo homine ô IEHOVAH
A malo, fac aſſere me ſceleſto
Et viro immâni feritate ſœuo.
Inſtar atrocis
Belua, defende meam ſalutem
Oro te contra facientem iniquè

Vim mihi, qui bella doloso acerba
Pectore versat.
Vibrat & linguam velut anguis, ore
Euomens dirum rabido venenum;
Delitet cui sub labijs necantis
Virus & hydri.
Impiam auertas precor ô IEHOVAH
Mi manumine me rapiat necetq;;
Me virûm contra petulantium molimina serua.
Qui meis tectâ fabricantur arte
Gressibus lapsum & pedibus ruinam;
Dum mea obseruant oculis mali vestigia acutis.
Clàm mihi nectunt laqueos superbi.
Et plagas ex canabe, tetricosq;
Quâ via est mi parte terenda funes,
Vincula condunt.
Tot malis septus, querula IEHOVAM
Voce compellans, fidei salutem
Illius commendo meam, DEVS mî
Fortis & inquam:
Aure me exaudi facilis benignâ
Supplicem, & de corde preces profectas
Intimo, sint quæso ratæ, leues nec
Has sine venti
Dissipent, ô magne Deus IEHOVAH,
Supplici, qui spes q, salusq, solus
Es mihi, robur columenq;, & ipsa
Viuida virtus.

Ad tuum numen referens ocellos
Mentis, in te fige animum vel vnum,
Hoc caput per prælia qui tueris
Liberum ab ictu.
Impio indulge sua vota nunquam
Æstuat queis feruidè acerbus hostis,
Illius nec firma animum ferocem
Improba & ausa:
Efferat ne se nimis, ac in altum
Cornua attollat, rigidiq; honore
Martis incedens sibi iam licere
Omnia credat.
Quæ parant hostes mihi damna, prauis
Consiliis, mendacibus atq; linguis.
In caput fac his proprium recurrant
Peste nocente,
Flammea & cœlo reprobos procella
Fundat eiecta, in cuneosq; hiantes
Hos fuga vertat, stygiumq; vindex
Trudat ad orcum.
Nempe in extremis barathri tenebras
Squalidi ac tristis, reuocare gressum
Vnde non possint, iterumq; nunquàm e-
mergere ad auras.
Os malum & mendax hominis scelesti
Qui bonis infert probra, non fruetur
Pace, nec feliciter hoc in orbe
Transiget ævum.
Vspiàm nec sede manente deget
Patriâ pulsus vagus, æger, exsul,

Improbus donec pereat malignâ
Arte magister.
Interim (quòd sat scio) sed IEHOVAH
Arbiter iustus, miserûm patronus
Fautor oppressis aderit, suisq;
Ius feret æquum.
Hinc tibi laudes canat vt perennes
Turba iustorum, ante oculos beatos
Et tuos secura moretur omni
Tempore viuens.

PSALM. CXLI.
Ad te Domine clamaui.

SVpplici clamo tibi voce IOVAH
Præses ô mundi, properè vocanti
Da fauens aurem placidam, salutem
Ferre paratus.
Sint loco incensi tibi vota thuris
Grata, qua fundo, tibi quasq; palma,
Eleuo, tibi obtineant vicem, quod
Sole cadente
Te colens offerre suëui ad aram.
Os meum constringe lupis, loquaci
Obsera linguaq; fores, labrisq;
Injice frena.
Flectier cor parce meum ad malignam
Rem, sinas nec labier ad nefanda
Facta, nec se polluat impiorum
Cœtui adhærens.

Quorum ego mensaq; libens carebo
Suauibusq; escis, fluido & sapore
Fortè ne partem capiam ex malâ dul-
cedine præda.

Increpet me malo pius seuerè,
Verbere & duro mea terga pulset,
Impius quàm mulceat ore blando
Suauia dicens.

Officl ponet benè tàm quod ipsum
Ille, quàm nardi mihi rore spargat
Si comam fragrante, caput meumq;
Balsamo inungat.

Impijs sit lingua licet diserta &
Blanda, demulcens caput arte & aures;
Contra eos non cesso tamen precari, vt
Liberer illis.

Præsides horum simùl & magistri
Fac ruant ceu præcipites ab altâ
Rupe; sic pœnam sceleris luentes
Exitiosi.

Tunc mei rursùm subeant piorum
Conscias mentes monitus salubres,
Suauitas vocisq; mei docentis
Occupet illas.

Ossa sic dispersa mea ad sepulchri
Os iacent, heu, penitùs solutis
Nexibus, terram vĕluti colonus
Vomere adunco.

Dissipat scindens, rigidoq; glebas
Torridas disrumpit agri ligone;

Aut faber findit cuneis adactis
Brachia fagi.
Sed tamen te sancte Deus IEHOVAH
Specto, te solum intueor, salutis
O mea spes vna, animam hanc tuere
Oro miſellam.
Hoc caput defende meum fidelis
More patroni, laqueis nec iſtis,
Caſſibus nec fac capiar ſceleſtis
Quos poſuêre,
Impij in fraudem mihi quam parârunt
Incidant ipſi, pedicis retenti,
Et ruant paſſim proprijs repoſtis,
Diſpereantq;.
Interim tutus ſed ego ibo prater,
Retibus liberq; volabo ruptis,
Squalidis prorſum latebris ſolutus,
Corpore ſaluo.

PSALM. CXLII.

Voce mea ad Dominum clamaui.

VOce clamosâ Dominum fatigans
Supplices ad ſidera tendo palmas;
Flebili queſtu & gemitu fremente,
Impleo cœlum.
Et mea effundens meditata mentis
In ſinum illius, refero mihi ſit
Quam premens nunc anxietas, doloris
Quantus & æſtus,

Spiritus angore premente pectus
Hoc, & infestanti graui malorum
Mole, tu mi promptus opis solebas
Ferre salutem.
Improbi, quâ parte loci iubet me
Functio gressum mea ferre, tendunt
Retia & funes mihi, clamq; vincla
Abdita ponunt.
Su meos conuertam oculos sinistrum
Ad latus, rursùm asticiamné dextrum,
Notus haud offert mihi se vel vsquàm
Fidus amicus.
Nulla nunc, eheu, profugo relicta est
Spes fuga, nec vincere vim faculta s:
Nemo enim me suscipit hic iacentem as-
sertor & vltor.
Ergo te clamore DEVS fatigans
Flebili, dico: mihi spes & vna
Pars es, has sedes hominum colenti
Lucis in aura.
Quaso des aurem facilem querelæ
Quam tibi expono lachrymans nefandis
Cladibus fractus miserè, grauiq;
Mole malorum.
Assere à sœuis manibus Tyrannum
Me, meam vitamq; petens tuere
Contra eos, qui me superant inermem
Robore & armis.
Exime hanc squalore animam profundi
Carceris, nomenq; tuum professum:

Et tuas laudes cupidam sonare
Atq; paratam.
Tunq; iustorum chorus & corona
Ambiens me concinet; ipse tandem
Quòd feras certam miserus salutem
Morte redemptis.

PSALM. CXLIII.

Pœnitentialium septimus.

Domine exaudi orationem meam.

OMeam exaudito precem IEHOVAH,
Et pijs hanc percipito querelam
Auribus, quam mente fidei tenaci
Vsq; tenebis.
Arbiter iustus mihi redde iusta
AEquus & responsa, tuumq; adire
Tetrico vultu famulum & severo
Parcito iure.
Nemo enim viuens ita se probabit
Antè te iustum, queat vt breuis vel
Sustinere horæ spacio tui âspri
Lampada vultus.
Iam ferox en imminet hostis, armis
Insequi pergens miserum, neciq;
Tradere attentans, animam hanc soloq; il-
lidere gaudens.
Ille humi stratum tenebris sub atris
Abdit, in caligine me sedere

Cogit & densâ, venit vsu vt olim
Lumine cassis.
AEstuans me verto in vtramq; partem
Spiritus angore stupetq; totum
Cor mihi, vis viuida planè adempta est
Corpori & ægro.
Sed tamen mens, obruta pœnè curis
Et malis tot pressa, memor priorum est
Temporum, queis ipse patres amicâ
Sorte beasti.
Cuncta quin priscis etiam peracta
Hæc tibi seclis meditatur, omne
Et manus expendit opus potentis
Arte stupendum.
En tuis palmas, DEVS alme, supplex
Pando prostratus genibus supinis.
Teq; opem posco, sitiens humus ceu
Expetit imbrem.
O moram tollens citò me IEHOVAH
Lenis exaudi, prius ipse linquar
Spiritu quàm: pectora namq; fessa
Vix mage pulsat.
Ne tuum auertas mihi quæso vultum
Patrium; quòd si tetricus reduces
Ora, me & fortasse sequi negabis
Lumine blando;
Heu mihi tunc qualis ero? cadauer
Putre, parq; illis penitùs, profundi
Iam quibus furuum tumuli paratur
Funus ad antrum.

Fac

Fac tuum me manè iube benignum
Numen audire: hinc mihi namq; pendet
Certa spes, mens credula posci vnum
Te, salutem.
Semitam monstra mihi tu viamq;
Pande, quâ tutus gradiar periclis;
Quæ mihi impendent, miserum obrutura
Iamq; videntur.
Mens mea hæc desiderat vnum auetq;
Te mihi tu ductor & esto vita,
Rector & morum, sapientis autor
Consilijq;.
Mi DEVS sub tegmine opis latentem
Me tua extorque manibus cruentis
Hostium: tu solus enim salutis
Es mihi tuſtos.
Edoce mentemq; manumq; recta
Exequi, tantumq; tibi probanda;
Nam tuum numen veneror DEVS mi,
Vnicum adorans.
Me tuus ducat pater ô beate
Spiritus, per plana regatq; gressus
Is meos, semper mihi sit comesq;
Fidus eunti.
Porro seruato exanimem, IEHOVAH,
Spiritus aurâ recreans beatâ
Me tui, vt famâ celebrere in omne
Nominis auum.
Erue hanc arctis animam miſellam
Faucibus, latas reuocans sub auras,

Vt tua laus iustitiæ perenni
Tempore constet.
Dissipa ac disperde seuerus hostes
Vltor, huic multùm capiti molestos;
Me sed insontem bonus atq; clemens
Ipse tuere.
Quotquot hanc vrgent animam premuntq;,
Obsident & vndiq; me pusillum,
Exitio digno iubeas perire
Funditùs omnes.
Sed tibi serua famulum fidelem
Qui tuus sum mancipio, tibiq;
Mente sum seruire paratus omni,
Corpore toto.

PSALM. CXLIV.

Benedictus Dominus Deus meus.

QVas tibi grates Domino, meæq;
Petræ agam? pugnare manus docenti
Has, meos in Martis & arte pugnos
Instituenti.
Tu bonus, tu fons bonitatis, arxq;
Es mihi munita, tegens in arctis
More me scuti clypeiq; rebus,
Magne redemptor.
Tu mihi protector ades per arma
Vt ruam saluus, mihi tu salus es
Certa, te tantùm mea spes fidesq;
Pendet ab vno.

Fulgeo quòd gloriâ ab hoſte tutus
Impio regni, populis meisq;
Impero laté, fateor; tui eſt id
Muneris omne.
Quæſo, mortales quid honore tanto
Ipſe dignaris Deus, ac Adami
More ſic curas ſobolem paterno?
Numine dignum
Qua tuo in ſe nil gerit; imò puluis
Eſt homo, quo vanius eſt vel vsquàm
Nil, dies cuius fugiunt repentè,
Ceu leuis vmbra.
Cœlitûm rex pande fores olympi
Sedibus prodi æthereis q;, montes
Arduos tangens operito nube
Viq; vaporum.
Fulgure ac illos radians flagranti
Traijce, turbatosq; tuis ſagittis
Igneis diſpelle, tremant vt omnes
Te metuantq;.
Cœlitus demitte manum potentem
Eruas vt me, validusq; ſerues
Ex aquis raptum, bonus & maligna
Tela repelle
Hoſtis externi & violenta valdè;
Os leue eſt, quorum ſine teſte, fallit
Et dolus aſſueta manus, fideq;
Mens caret omni.
Tunc noui planè meditatus orſum
Carminis cantabo tibi IEHOVAH;

Barbitos denisq; modos sonabit
Tunc tibi neruis.
Qui tuâ Reges recreas salute,
Horum & euentus regis, ac Dauidis
Seruuli vitam grauibus periclis
Eripis idem.
Extrahe immersum rapidis malorum
Fluctibus, me subtrahe dextra eorum
Rebus à sacris penitùs qui abhorrent
Pectore prauo:
Quos iuuat non dicere vana tantùm,
Sed manu patrare nefanda, constat
Queis nec in verbis ratio, fides nec
Debita pactis:
Limite à nostro prohibe docentes
Falsa, ne vestigia in hisce ponant
Finibus, nec gens aliena tentet
Relligionis,
Artium legumq; abolere curam,
Impijs mentesq; grauare nostras
Cultibus, prauis temerare vitam
Moribus ausit.
Mâscla succrescat soboles piorum,
Se suâ virtute gradumq; in altum
Tollat, vt plantata solo feraci
Laurea surgens
Explicat formosa comas virentes:
Virgines nostræ niteant decentes
Sic suo cultu vegetoq; flore vt
Regia splendent.

Tecta,

Tecta, sustentata pilis, & arte
Picta solerti; loculi refundant
Conditum nostris genus omne frugum
Vsibus aptum.

Ampliet fœtura gregem bidentem
Mille producens, sibi læta centum
Millia in nostris pariterq; vicis
Pascua carpant.

Qui solum exercent q; boues aratro,
Seruiant nostris rigido labore
Commodis, & plaustra trahant repleta
Frugibus almis.

Desit vt nil, dispereatue quicquàm;
Dissipent cœtus hominum nec arma;
Classicum lugubre sonetué circum
Compita nostra.

Talibus quamuis populus beatus
Sit bonis, vitam in tacitoq; degat
Ocio, offensaq; carens, doloris
Omnis & expers:

Attamen multò magis est beatus
Ille, qui ponit sibi spem IEHOVAM,
Hunc sibi patremq; Deumq; semper
Nouit amicum.

PSALM. CXLV.

Exaltabo te DEVS.

ALta te iam sidera ad vsq; tollam
Laudibus, Rex magne, meum patremq;

Et DEVM; cuius celebrabo nomen
Dum fruar aurâ hac.
Barbitos laudes tibi noſtra pſallet
Debitas, longos modulando Soles,
Prædicans, nomenq; tuum ſonabo in
Secula cuncta.
Grandis & laudandus vbiq; IOVAH eſt,
Extet & quàm magnus, & almus idem,
Mens nequit comprahendere, nec diſerta
Lingua referre.
Dicet ætati tua facta & ætas
Geſta laudabit tua, poſteriq;
Fortia exponet, memoriq; cuncta
Mente tenebit.
Hoc decus verè eximium, parata
Et tibi laudis monumenta præco
Ipſe narrabo referamq; mira
Tot tua facta.
Vt tuas vires meditetur ille
Robur exponatq; alijs ſtupendum;
Hic canat dextrâ tibi geſta ſorti;
AEmula nulli.
Sic tibi ſummæ bonitatis atq;
Integra laus iuſtitiæ manebit;
Sic tibi conſtabit & omne durans
Gloria in æuum.
Hinc pius, clemens, facilis IEHOVAH
Audit, & largus dare dona, ad iram
Lentus, & multâ bonitate plenus,
Parcere promptus.

Totus exemplis bonus & benignus
Est DEVS, placabilis ira & idem,
Patrio qui corde operum suorum
Commiseretur.

Ipse qua tu cunq; potente dextrâ
Conditor fecisti animata rerum
Te colent, grates soluet tibiq;
Turba piorum:

Cuius inprimis decora ampla regni
Cuius & vires memori celebrant
Mente, maiestatis & ore pleno
Gesta recludunt.

Latè vt in cunctis populis potestas
Cognita euadat tua, vs tuiq;
Imperi, cui gloria finis expers
Contigit vni.

Meta cui non vlla data est vel aui
Vel loci: nam subdita sceptra solus
Tu tenes, qua nec spacia vlla claudunt
Secla nec vlla.

Namq; promissis Dominus fidelis
In suis existit, & est benignus
In suis factis, tribuitq; largus
Dona petita.

Sustinet cunctos Dominus ruina
Proximos, firmatq; bonus labantes,
Ac humi stratos leuat, & iacentes
Erigit idem.

In tuum spectantia numen vnum
Omnia infigunt oculos, cuiq;

Pabula vt largus sua tu ministres
Tempore iusto.
Pandis & dextram, saturas & ipse
Omne viuentum genus. & benignè
Recreas fessum, placitisq; donis
Prouidus exples.
Sanctè agit iusteq; suis IEHOVAH
In vijs quacunq; agit, omne opusq;
Illius plenum est pietatis, almi
Atq; fauoris.
Quin & implorantibus ipse semper
Supplici se voce propinquus adstat,
Compotes dimittit opisq; cunctos,
Si modò numen
Ritè & haud fictè auxiliare adorent:
Quod pij votis cupidis requirunt
Perficit promptus, precibusq; eorum
Applicat aures
Sensiles, hos eruit & periclis,
Cœlitusq; his mittit opem salutis,
Impios perdens, pariterq; ab imâ
Stirpe reuellens.
Tandem ego in laudes igitur IEHOVAE,
Os meumq; & guttura tota soluam:
Cuius & sanctum caro cuncta nomen
Psallet in auum.

PSALM. CXLVI.

Lauda anima mea Dominum.

MEns mea ô laudes meritas IEhoua
Grata fer. mecum celebrarè sacris
Canticis nam constitui IEHOVAM,
Perfruar aurâ
Donec hac vitali, & ero superstes
Orbe in hoc; gratesq; DEO sonabo
Hic meo, sanguis mihi dum recurret
Hosce per artus.

Gratiâ ne fidite prapotentum
Principum, quòd sint homines caduci:
Viribus nec terrigenûm virorum
Queîs opis est nil,
Spiritus quorum semel vt reliquit
Debiles artus, gelidum cadauer
Puluerem in putrem redit, omnis & res
Exit in auras.

Mente consultata diuq; multumq;,
Irrita euadunt subitò auolante
Splendidâ, at fidâ malè spe, recedit
Vanidâ vt vmbra.

O modis hunc innumeris beatum,
Nititur qui praesidio IEHOVAE,
Vnicum agnoscens Dominum DEVMq;,
Spemq; salutis
Vno in hoc ponens, sibi quem colendum
Seculis priscis statuit fideli
Corde, gens sancta Isacidûm, hoc ab vno
Numine pendens.

Qui DEVS cœlumq; solumq; & aquor
Fecit, & quæ machina cunq; tanta

Continet; qui pacta fide sacrata
Soluere nescit.
Asserit qui iure bonos, tyrannum
Opprimi nec vi sinit; indigentes
Curat & pascit, dapibus famemq́
Pellit acerbam.
Liberat vinclis Dominus retentos,
Carceris tetri validis, Redemptor;
Reddit & visum medicus decoro
Lumine cassis.
Erigit lapsos Dominus, bonosq́
Diligit, iustosq́ tuetur idem,
Aduenas curaq́ fouet fideli,
Præsidioq́ est.
Ille pupillis pater vt benignus,
Curat ac orbas viduas maritis,
Et fouet ceu tutor, opemq́ confert
Rebus egenis.
Impios confundit, & ire retrò
Hos iubet vindex scelerum seuerus;
Fraudis autores perimit dolosi
Consiliiq́.
Rex sed æternus Dominus manebit;
Quem tuum regem Dominum Deumq́
O Zion dilecta colens adoras
Ritè, Haleluiah.

PSALM. CXLVII.

Laudate Dominum quoniam bon.

ELA fer laudem pia gens IEHOVAE:
Quo quidem nil laude magis vel æquum
Est, magis dignumue decensué quicquam,
Nec magè dulce.
Rursùs instaurat Solymam IEHOVAH
Colligens passim malè dissipatos
Exsules, iungit periêre quotquot
Isacidarum.
Corde contritis miserèq; fractis
Lenit ac mulcet medicus dolores,
Saucios curat solidans eorum
Vulnera hiulca.
Ille stellarum numerum recenset,
Singulis indit propriumq; nomen,
Singulis vires tribuit suasq; &
Munia certa.
Magnus est noster Dominus, stupendo
Robore & virtute valens potenti,
Prouidus mirâ ratione totum
Digerit orbem.
Tollit afflictos & humo IEHOVAH,
Et fouet mites & honore adauget;
Impios sed sternit humi & superbos
Trudit ad ima.
Ergo gratantes memorate cantu
Publico alternis vicibus IEhouam,
Barbitis nostroq; DEO referte
Iubila laudum.
Qui polum densis operit tenebris
Nubium, terram pluuiâ madente

Irigat,

Irrigat, montes viridante celsos
Gramine vestit.
Qui feris escas, pecudumq; genti
Non fera dextrâ sua præbet almâ
Pabula, & victum, querulâ vocatus
Voce, ministrat.
Coruulis inplumibus ac anhelis;
Hos vbi non prouida cura matrum
Negligens, odisse videtur atq;
Deseruisse.
Ille nil curat validum caballi
Impigri robur, nec amat viriles
Tibias, quem militis haud ferocis
Vis mouet vlla.
Ast eos dignatur amore tantùm
Patrio, blandusq; fouet IEHOVAH,
Qui timent ipsum, bonitate freti
Illius almâ.
Laude sublimem Solyme IEHOVAM
Debitâ tolle, ô celebra ad Zionem
Vrbs tuum fundata DEVM, perenni
Carmine dignum.
Qui tuos intùs beat, auget, ornat
Incolas donis varijs, tuarum
Clausira portarumq; valente ferri
Robore firmat.
Prosperat natosq; tuos benignè
Commodis augens & honore, ditans
Pace tranquillâ, procùl hinc feroci
Marte repulso.

E tuis confinibus: atq; largo
Te penu nutrit, saturans medullâ
Tritici electi, & tua vota latis
Frugibus explet.
Cuius vt vox prodijt ore missa
Insonans Zonas obit orbis omnes
Mox celer, ceu prapes auis volatu
AEthera scindit,
Qui niues ceu vellera mittit alta
Cœlitùs, celsos operitq; montes,
Afficit canis einerumq; ad instar
Sparsa pruinis
Arua, quin & grandine velat agros
Sapè, vibrandoq; gelu minuta in
Fragmina, errantùm sinuosa aquarum
Flumina stipat;
Frigidam indurans glaciem, rigore
Aspero astringit, stupidosq; sensus
Efficit, prorsùs penetrante tota
Corpora tactu:
Sic vt illius tolerare nemo
Impetum possit, recreet focus ni
Ignis accensi & foueat calore
Membra caduca.
Cùm iubet concreta gelu liquescit
Vnda mox rursùm, tepidi ad Fauoni
Flabra, condensata caditq; vinclis
Stilla solutis.
Qui suis & Isacidis sacratas
Tradidit leges, suo & Israeli

Sancijt cultus posuitq; iura
Ritè colenda.
Taliter nullo populis in æuo
Exteris fecit, pia scita legis
Quos sua celanda putauit olim
Ipse, Haleluiah.

PSALM. CXLVIII.
Laudate Dominum de cœlis.

COElitum laudate chori IEHOVAM,
Hunc poli æternis celebrent supremi
Laudibus, numenq; canat beatum o-
lympicus æther.
Laudet hunc cohors omnis angelorum,
Ipse quos fecit sibimet ministros;
Huncq; cœlorum resonet canendo ex-
ercitus omnis.
O decus fax fulgida Solis alti
AEtheris, Luna ô decus alterumq;
Lucidaq; omnes celebrate stellæ
Laude IEhouam.
Vosq; currentes per inane magnum
Circulati orbesq; rotaq; cœli;
Quin supernis nixa locis & vnda
Fornicis instar;
Imò quæ cœlum superat coruscum,
Largus vnde humorq; satis amicus
Depluit, nomen celebret IEhouæ
Laudibus almum.

Omnium namq; est opifex hic vnus,
Cuncta quo sunt orta iubente, solus
Sustinet qui ac omnipotente nutu
Cuncta gubernat:
Cuius vt vox vna data est ab ore,
Ipsum opus mox, ordine res q; miro
Extitére omnes; quibus ille & idem
Ordine certo
Prouidus leges posuit tenaces,
Corruant ne cum fragili senectâ,
Husq; decretum semel editum transire negauit.
AEther & tellus pariter IEHOVAM
Concinant, & monstra marina, cete
Vasta, quæ ponti inq; sinu repôsto
Degitis ævum.
Grandines, fumansq; vapor, niuesq;
Detonans & flamma furensq; ventus,
Numinis qui iussa sequuntur alti &
Sponte capessunt:
Montium quin & iuga senta, collesq;
Obsiti tot pampineis ab omni
Frondibus parte, omne feraxq; lignum, &
Vertice Cedri
Nobiles tot nubifero, feraq;
Bestiæ & mites, pariter genusq;
Omne humi repens, volucrumq; pennis
Aëra scindens.
Principes, Reges, proceres potentes,
Præsides orbis, data queis potestas

Iura dicendi est, solio è verendo
Gentibus aqua.
Vos simùl lecti iuuenes, puellæ
Integræq; aui, pueri senesq;,
Ferte laudando Domini per alta
Sidera nomen.
Illius nam cuncta suprà sacratum
Eminet nomen; patet & polus quâ
Et solum, extendit decus illius se &
Gloria latè.
Is sui extollens populiq; cornu
Roborat, virtutibus ad supremos
Cuncta per momenta apices honorum
Illud & effert.
Hunc pij ergo omnes celebrent perenni
Laude, & inprimis genus Israëlis,
Quod sacris est seruitijs dicatum
Illi, Haleluiah.

PSALM. CXLIX.

Cantate Domino canticum nouum.

CAnticum cantate nouum IEHOVÆ;
Hunc sonet cœtus celebri piorum
Laude, huic sacrum numeris sonoris
Pangite carmen.
Israel se patre suo DEO q;
Lætus oblectet, soboles Zionis
Et sui aduentu fremat vsq; Regis
Excita plausu,

In chori formam pia gens coacta,
Fistulis huius citharisq; nomen
Personet, palmisq; sonora pulsans
Tympana laudes.
Accinant lati & recinant eburno
Pectine; addictam sibi namq; gentem
Diligit, seruat, fouet ac tuetur
Ipse IEHOVAH.
Erutos firmatq; humiles periclis,
Donat illustri & miseros salute.
Nempè prostratos ope res cui est at-
tollere cura.
Ergo det gestum pia gens honore
Splendido clara, atq; foris domiq;
In thoris secum resonet canorâ
Carmina voce.
Et Dei laudes celebrent decenter
Ora sanctorum, ancipitem vibrando
Vindices ensemq; manus eorum
Postmodò stringent.
Barbaris de gentibus vt seueras
Et graues pœnas repetant, superbè
Comprimant tandem & populos minantes
Bella cruenta.
Hostium Reges manicis suorum,
Principes arctisq; ligent catenis,
Ferreis vinclisq; duces potentes
Atq; feroces.
Cœlitùs præscripta velut requirunt
Iura, pro sœuis stolidis & ausis,

A reis pœnas meritas reposcant,
Munere functi
Ritè commisso sibi; splendor vndè
Laus, decusq; & gloria vera manat.
Post piorum sera manens superstes
Fæta. Haleluiah.

PSALM. CL.

Laudate Dominum in sanctis.

IN sacris laudate adytis IEHOVAM
Dexterâ laudate potente cœlos
Sustinens lumen, solium sibiq; in
Æthere firmans.
Rebus à gestis Domino celebri
Atq; maiestate sacrâ corusco,
Et modum virtute suprà potenti,
Dicite laudes.
Bellicæ hunc stridore tubæ sonaci, &
Nablio laudate tumente pleno
Spiritu, plectroq; lyræ suauis
Pangere laudes
Cura diuinas pia sit decenter:
Tympana hunc laudent strepitu sonoro
Cantibus festiq; chori celebrent
Huius honores.
Dispar hunc iunctis calamis cicuta
Rumpat, hunc doctæ resonent fides q;
Mulceant blandè q; sonore dulci
Tibiæ eburnæ.

PSALMORVM

Cymbali tinnitibus & canori,
Tinnulis hunc ſuaue-ſonantibuſq́,
Voculis lætis crotaliq́,pulſu
Concelebrate.
Laudibus tollant Dominum mouentur
Cuncta quæ,viuumq́, trahunt, per ipſum,
Spiritum,dent voce animoq́, laudum
Signa,Haleluiah.

FINIS TOTIVS PSALTERII.

Μόνῳ θεῷ δόξα ἐν ὑψίστοις.



ERRATA.

In Præfatione
Pag. 1. linea 19. lege concelebraret.
Psalm 3. Strophe 12. lege cui.
Psſ. 4. S. 8. l. vires.
Psſ. 8. S. 10. l. piſces.
Psſ. 9. S. 14. l. præſidem.
Psſ. 10. S 8. l quòd.
Ibid. S. 12. l. cupitis.
Psſ. 11. S. 4. l. fundamina.
Psſ. 12. S. 2. l. humanis.
Psſ. 13. S. 9. l. nitar.
Psſ. 17. S. 3. l. adiſti.
Psſ. 18. S. 4. l. mente.
Ibid. S. 14. l. amictu.
S. 29. l. vi tenui.
S. 42. l. alas.
Psſ. 22. S. 24. l. victuq;.
Ibid. S. 28. l. querulum.
S. 38. l. ſacratos.
Psſ. 28. S. 14. l ora.
Psſ. 30. S. 7. l. ad orci.
Psſ. 31. S. 15. l. feſtina.
Ibid. S. 24. l. quisq;.
Psſ. 35. S. 23. l. fex:
Ibid. S. 44. l. remotus.
Psſ. 40. S. 11. l. flammæ.
Ibid. S. 25. l. gaudio.
Psſ. 42. S. 4. l. candidos.
Psſ. 43. S. 1. l. æquus.
Psſ. 45. S 5. l. inclyte.
Psſ. 47. S. 2. l. regnator.
Psſ. 60. S. 3. l. noſtræ.
Ibid. S. 13. l. inclyta.
Psſ. 69 S. 20. l. vnda.
Psſ. 74. S. 22. l. ore.
Psſ. 78. S. 60. l. merſit.
Ibid. S. 62. l. agros.
Psſ. 81. S. 2. l. canores.
Psſ 88. S. 9. l. Rebar.
Psſ. 105. S. 27. l. penitus.
Psſ. 106. S. 21. l. hinc.
Ibid. S. 24. l. cautibus.
Psſ. 114. S. 6 l. Hornus.
Psſ. 116. S. 15. l. quid.



LUBECÆ
Typis & impensis Laurentij Albrecht,
Bibliopolæ.



ANNO CHRISTI

cIↃ. IↃ. CII.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0475
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0476
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0477
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0478
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0479
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0480
DFG

ERRATA.

In Præfatione
Pag. 1. linea 19. lege concelebraret.
Psalm 3. Strophe 12. lege cui.
Pſ. 4. S. 8. l. vires.
Pſ. 8. S. 10. l. piſces.
Pſ. 9. S. 14. l. præſidem.
Pſ. 10. S. 8. l. quòd.
Ibid. S. 12. l. cupitis.
Pſ. 11. S. 4. l. fundamina.
Pſ. 12. S. 2. l. humanis.
Pſ. 13. S. 9. l. nitar.
Pſ. 17. S. 3. l. adiſti.
Pſ. 18. S. 4. l. mente.
Ibid. S. 14. l. amictu.
S. 22. l. vi tenui.
S. 42. l. alas.
Pſ. 22. S. 24. l. victuq;.
Ibid. S. 28. l. querulum.
S. 38. l. ſacratos.
Pſ. 28. S. 14. l. ora.
Pſ. 30. S. 7. l. ad orci.

Pſ. 31. S. 1
Ibid. S.
Pſ. 35. S.
Ibid. S.
Pſ. 40. S.
Ibid. S.
Pſ. 42. S.
Pſ. 43. S.
Pſ. 45. S.
Pſ. 47. S.
Pſ. 60. S.
Ibid. S.
Pſ. 69 S.
Pſ. 74. S.
Pſ. 78. S.
Ibid. S. 6
Pſ. 81. S. 2
Pſ 88. S.
Pſ. 105. S
Pſ. 106. S
Ibid. S. 2
Pſ. 114. S
Pſ. 116. S

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778434060/phys_0481
DFG